15. 8. 444
15. 8. 444.
Digitized by Google

Dr. [illegible]
Gymn. Ulm.
1835 [illegible]

(in [illegible])
Dr. Fr. Ch. Franke zur Geschichte Trajans u. seiner Zeitgenossen. 2[illegible]
[illegible] 1840. [illegible]

49
7.

49076.
ball 1/4
robe

Digitized by Google

DIVVS TRAIANVS SIVE DE LEGIBVS TRAIANI IMPERATORIS COMMENTARIVS

AVCTORE

IO. AVGVSTO BACHIO



LIPSIAE
APVD IOANNEM WENDLERVM
1747.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO
DOMINO
CHRIST. GOTTLOB
SAC. ROM. IMP. COMITI
AB HOLZENDORF
DYNASTAE BAERENSTENII
REL.
SEREN. AC POTENT. REGIS
POL. ELECTORIS SAXON. A
CONSILIIS SANCTIORIBVS SENATVS
ECCLESIASTICI PRAESIDI CVBICVLI
REGII COMITI ETC.

DOMINO AC MAECENATI
INDVLGENTISSIMO

ILLVSTRISSIME COMES

INDVLGENTISSIME DOMINE

Egregia TVA, et illuſtriſſimis documentis probata, in omnes litteras voluntas facit, vt, quicquid ex omni doctrinarum genere, politum ingenio, elaboratum induſtria, noſtris in terris prodit, id omne TIBI ſummo iure deberi putetur: Humanitas autem ac facilitas ſingularis, vt omnes ſibi aditum ad TE patere credant, TIBI-

que audacter labores ſuos offe-rant: Summa denique, in exci-pienda ſua cuiusque pietate, et officio, comitas, vt, vel hoc ſolo nomine, fructum laboris ſui per-magnum cepiſſe videantur. Qua-re ego nec debui, nec potui dubita-re, DOMINE, TVO *Illuſtriſſimo Nomini hunc meum de Traiani Imp. Legibus Commentariolum conſecrare; inprimis cum omnium meorum ſtudiorum rationem red-dere* TIBI *debeam atque probare, qui, magno* TVO *me beneficio ad-fectum eam ob cauſam, ſciam, vt meum in litteras ſtudium et incen-deretur, et adiuuaretur. In quo ſpes iucundiſſima me tenet, fore, vt hunc libellum, vſitata ac propria* TIBI *indulgentia, libenterque acci-pias, non tam, quod ingenio meo, aut induſtria elaboratus eſt, quam, quod de Legibus Optimi Principis Traiani exponit, in cuius aequi-*

tate,

tate, iuſtitia, humanitate, facilitate, prudentia, ſapientia, indulgentia, ceteriſque eximiis Virtutibus cognoſcendis, ſaepiſſime de FRIEDERICO AVGVSTO TVO, *Optimo Principe noſtro, diuiniſque eius Virtutibus,* TIBI *occurret cogitatio, quam* TIBI *ſuauiſſimam eſſe arbitror. Ex eius cogitationis ſuauitate ac dulcedine ſi quid huic libello adhaeſerit commendationis; confido,* DOMINE INDVLGENTISSIME, *fore, vt eius auctorem quoque Patrocinio* TVO *complectare. Quod ego ſi conſecutus fuero, maxime felicem me fortunatumque exiſtimabo. Studiorum autem meorum totiusque meae vitae rationem ita inſtituam, vt Patrocinio tam praeſtanti non indignus eſſe videar.*

Ita

Ita Deus TE, ILLVSTRISSIME COMES, *cum Illuſtriſſima Domo* TVA, *ſaluum incolumemque ſeruet, et omnibus iis bonis cumulatum ornatumque eſſe iubeat, quibus felicitas humana in ſummo* TVO *loco cenſetur.*

ILLVSTRISSIME COMES

INDVLGENTISSIME DOMINE

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

DEVOTVS ADDICTVSQVE CLIENS
IOANNES AVGVSTVS BACHIVS

PRAEFATIO.

Cum omnis Iuriſprudentia Ciuilis plane hiſtorica ſit, [a]) in eoque poſita, vt, quid cautum, conſtitutum, ſancitum, diuerſis ab Impp. fuerit, et tempore, vſu, auctoritate ICtorum inductum, teneatur; neminem eſſe puto, quin intelligat, duo inprimis neceſſaria eſſe ad Ius Ciuile intelligendum; Hiſtoriam memoriamque rerum geſtarum, et Linguae Latinae accuratam ſcientiam. Quid enim Cuiaciis, Hotomannis, Budaeis, Fabris, Gifaniis, Gothofredis, Schultingiis, et ſi qui horum ſimiles extiterunt, quid, niſi harum rerum eximia doctrina, nomen attulit numquam intermoriturum? Contra vero, qui iis deſtituti ſubſidiis caruerunt, quam turpiter ſaepe ſe dederunt, riſumque debuerunt, et adhuc dum debent, doctioribus? Hi ſunt profecto, qui, quae non intelligant, in iis omnibus in Triboniani eorumque, qui ipſi

a) V. SCHVLTINGII Cel. *oratio de Iuriſprudentia hiſtorica, Iuriſprudentiae Ante-Iuſt.* adiecta.

ipſi ſociam praeſtiterunt operam, caput, quaſi conſpiratione facta, irruant, maledictis, reprehenſionibus, cauillationibus, cachinnis etiam proſequantur, vexent, proſcindant: vt gloriolam aliquam inde aucupentur et colligant. Quid frequentius audias, quam egregias illas, ſi diis placet, definitionum in Iure Ciu. traditarum exploſiones; emblematum male caelatorum iactationes; vitiorum etiam, Grammaticorum ſcilicet, deriſiones? Ecce tibi definitionem *tutelae*, quae dicitur *vis ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui per aetatem ſe ipſe defendere nequit*, vt Seruius Sulpicius, ICtus excellentiſſimus, qui primus artem elegantiamque, auctore Cicerone, in Iurisprudentiam intulit, cuius etiam elegantiſſimum ſcripturae genus epiſtola inter Ciceronianas ad Diuerſos comprobatur, vt is igitur ſummus elegantiſſimusque ICtus definiuit, eam definitioncm quot quantisque vitiis laborare, inſignibus horum Interpretum diſputationibus docemur! Didiciſſent modo, cognouiſſentque elegantiam Latinae Linguae, aut certe Cuiacii [b]) interpretationem percipere voluiſſent: nae ſapientia tali non vterentur: niſi vero forte mallent ſe nihilo eſſe Bartolo ac Baldo aut Accurſio doctiores. Scio equidem inglorium hoc ſcholaſticumque quodammodo nonnullos arbitrari, tempus ieiunis ac ſubtilibus

b) *Comment. ad Iul. Paull. Lib. XXXVIII. c. 1. ad Edictum* cf. VINN. *ad §. 1. Inſt. de tutel,*

tilibus verborum interpretationibus teri, atque conſumi, plus et ingenii, et doctrinae putantes demonſtrari, ſi rationem ſpeciemque ipſam Legum ſcruteris et inueſtiges. Quaſi vero ad haec perueniri poſſit, niſi iſtis quaſi gradibus ante factis: et quaſi non et Labeo, Paullus, Vlpianus, aliique veteres ICti in interpretationibus verborum elaboraſſent! Hiſtoriae autem ignoratione, nemini debet obſcurum eſſe, quam multi turpi errore decepti ſint. Componat mihi aliquis Conſtantini M. Reſcriptum in Codice Iuſtinianeo,[c]) cum Iuliani ICti ſententia,[d]) eaque ita interpretetur, ſine hiſtoriae adiumento, ne quid deſiderari poſſe, aut repugnare videatur: tum profecto nullam hiſtoriae in Iure interpretando vtilitatem eſſe ac vim fatebor. Sed ſatis inter omnes exiſtimo conſtare, hiſtoriae lumine, quanto Ius Ciu. opere colluſtretur. Neque ego is ſum, qui hoc crimen in quemquam conferre velim: qui omnia, quae dicta ſunt, eam ob cauſam elocutus ſim, vt inſtituti noſtri, in explicandis Legibus Traiani, rationem redderem. Cum enim conſtitutum hoc ſit, declaratumque, ex hiſtoria vberrimos in interpretationem Iuris Ciu. fructus redundare, non exiſtimaui me tempore et litteris abuſum videri poſſe, ſi, quod in cretionibus ſcribi ſolebat, quantum ſcirem poſſemque,

c) *L. 2. quae ſit long. conſu.*
d) *In L. 32. fin. D. de leg. SCt.*

ad Traiani Imp. Leges declarandas, hiſtoriae adiumentum adiunxiſſem. Semper enim in ea haereſi fui, vt, explicandis ſingulorum Impp. inſtitutis, et ad hiſtoriam reuocandis, ſplendidiſſimum lumen adfundi Legibus noſtris poſſe, exiſtimarem. Neque vero quanti opera ſit Fr. Balduini, Conſtantini M. Iuſtinianique legibus illuſtratis, exiſtimanda, quisquam, arbitror, ignorare poterit. Traiani autem Leges potiſſimum hac mihi cura dignae videbantur eſſe, vt, quicquid in me eſt, ſiue ingenii, ſiue ſcientiae, quae, vti ingenue ſentio, ita liberaliter profiteor, quam in me ſint exigua, vt igitur illud omne eo conferrem, quo poſſent aut illuſtrari, aut liquidius explicari. Eſt enim profecto Traianus is, quo auctore, e plurimis et maximis, ſuperiori tempore ab Imperatorum auaritia, crudelitate, negligentiaque importatis calamitatibus, primum quaſi erepta, ac reſtituta refici resp. refouerique, et iterum quaſi ſe commouere coepit. Ac Leges ipſae tantum prudentia, aequitate, vtilitate, praeſtant, quantum ipſe earum auctor ſuperioribus omnibus principibus, omni virtutum genere, antecelluit.

In quo quidem ſuſcepto non vereor non nullorum hominum voculas, ac reprehenſiones, qui inanem ſuſcipi operam, laboremque et tempus male conſumi, iactent, atque conuicientur; inutiles hodie, vt vulgo fertur, iſtas Leges eſſe, neque ad vſum

trans-

transferri poſſe: quarum adeo explicatione et illuſtratione, ſine vlla iactura, queamus carere. Quos ego homines facile fero, neque adeo flagito, vt, operam meam magni iudicent. Quod autem aiunt, plane ineptam eſſe omnem illam diligentiam, quae, ad Leges, hac noſtra in republica, non vſitatas, litteris, atque hiſtoria illuſtrandas, conferatur; in eo non poſſum non ab ipſorum opinione ſententiam meam ſeiungere. Nam tametſi per ſe ſuaque ſponte noſtris temporibus vtilitate deſtituuntur Leges; tamen, quoniam, quo tempore inductae ſunt, ad eius ſtatum recte cognoſcendum valent: (Legum enim quaſi radicibus reip. forma conſtituta tenetur) aut, quoniam ceteris, quae hodie vſum et auctoritatem obtinent, Legibus inferre lucem poſſunt, non debent profecto inanes, et vtilitatis expertes iudicari. Quid enim? Si in aliis diſciplinis multa diſcuntur, quae ſua vi ex ſe ipſis conſpicuos non efferant fructus: ad cetera autem earundem artium praecepta percipienda ſummum adiumentum adferant: cur in ſola Iurisprudentia ab iis abhorreas, quae, etſi nulla propria eminent illuſtrique vtilitate, vim tamen ſuam in vniuerſam artem noſtram diffundant? Quis neſcit multa in Geometricis Mathematicisque diſciplinis, in Analyſi, tradi atque percipi, quae ſolummodo ceteris recte diſcendis inſeruiant? Quid vero? Apud Romanos ipſos quis eſt, quin ſciat,

multa e Legibus XII. tabb. iura, deſuetudinis illiterato conſenſu ſublata, euanuiſſe? quae tamen, quoniam omnis Iuris Ciu. quaedam quaſi eſſet continuatio, non negligerentur. Totus XII. tabb. liber, Cicerone adhuc puero, quaſi neceſſarium aliquod carmen, ediſcebatur. Neque enim putabant ICtum aliquem fieri poſſe, niſi omnia iura, et initia, et progreſſus, teneret. Quantus vero fructus eſt is, qui, Legibus etiam antiquatis cognoſcendis, redundet ad eum, qui ſcientiam iuris conſtituendi, et ciuilem prudentiam, non adſpernetur! Denique ſi nulla alia, certe haec iſtius cognitionis eſt non vulgaris commendatio, quod ſuauiſſima eaque humaniſſima voluptate ſui ſtudioſum perfundit. Quibus ego rebus omnibus effici exiſtimo, vt, ſi quis antiquorum omnium iurium, Legumque, vt aiunt, inutilium ſcientiam comparauerit, et animo complexus ſit, minime inutilem is infructuoſamque ſcientiam tenere videatur. Neque nos ipſi, Traiani Legibus et inſtitutis enarrandis, fruſtra et tempus et operam inſumſiſſe videbimur: Modo id conſequi potuerimus, vt a vera Legum iſtarum interpretatione non aberraremus. Certe id ſumma cura, impenſiſſimo ſtudio, operam dedimus.

Sed quam rationem, in hoc noſtro inſtituto perſequendo, quem modum tenuerimus, age, paucis explicabimus. Primo id

id nobis fuit propoſitum, vt, quae in Digeſtis et Codice nobis occurriſſent, Traiani Leges et Conſtitutiones, earum praecipuam rationem duceremus. Deinde ſi qua in veteribus Auctoribus reperiſſemus inſtituta, ea quoque aliqua illuſtratione non indigna cenſuimus. In quo tamen nolim id a nobis exigi, vt nulla vſpiam adhuc Lex, nullum Traiani inſtitutum ſuperſit, quod a nobis commemoratum non ſit. Summa enim quamuis diligentia adhibita, tamen accidere potuit, vt nos aliqua latuerint et effugerint. Ac primo quidem loco poſuimus ſecundum ordinem temporis, quo prodierunt, enarrauimusque Imperatoris Optimi Leges, Edicta, Senatusue Conſulta, quoniam haec iſto tempore adhuc proprie Legum vniuerſalium numero ac vi habebantur. Quamquam enim eo tempore iam Imperatores multa reſcriptis conſtituere et componere ſuis ſolebant; ea tamen non latius patebant, quam ad eam cauſam, de qua lata erant. Nam quod in Digeſtis ICti ex Reſcriptis Impp. ius ducunt, atque iis ad ſuam ſententiam ſtabiliendam, confirmandamque vtuntur, id fit eo, quia, quod Impp. aequitate moti in ſingulis controuerſiis reſcripſerant, id deinde, ſaepe eadem ratione ab Impp. reſcriptis redditis, editis ICtorum reſponſis, rebusque pariter iudicatis, longo tempore et vſu conualuiſſet.

In poſtremum locum reiecimus Decreta atque Reſcripta propterea, quod difficiles

explicatus habere videbatur temporis ratio. In quo tamen, ſi probabili aliqua ratione Reſcripto alicui ſuum tempus potuimus adſignare, id indicare non neglexImus.

Sed de ſingulis neceſſe eſt paullo diligentius dicere, vt, quid a nobis actum ſit, perſpiciatur. Ac primo quidem in Edictis, SCtis, Legibus inprimis id nobis negocii credidimus dari, vt, quae in ipſis SCtis, Edictis Legibusque verba fuiſſe viderentur expreſſa, ſignificaremus, ſi quidem ea coniectura aliqua eruere potuiſſemus. Nam cum in Digeſtis ſaepe ICti verba ipſa eorum interpretentur, ad ICtorum fragmenta recte capienda, magnam vim habet, ipſa ea verba tenere. Deinde ſollicite fragmenta ICtorum ea interpretantium ad ſuum quodque locum reuocauimus, ac ſpecies, a ICtis ſimul enarratas, diligenter, quantum potuimus, expreſſimus. Praecipue quod ad *Beneficium eorum, qui ſe deferunt*, diuerſis Traiani edictis conceſſum, atque conſtitutum, ad *SCta, Articuleianum, Rubrianum* ac *Daſumianum*, magna ſimilitudine connexa et copulata, attinet, quoniam in iis videramus vel doctiſſimos etiam homines dubitatione incertos vagari, aut ambiguos errare, vt omnis ambiguitas inde excluderetur, confuſio circumſcriberetur, ac ſeuocaretur, ſtudioſe eſt a nobis curateque elaboratum. In quo quidem nobis videmur nonnulla attuliſſe, quae a nemine alio explicata, aut indicata, arbitramur. Sed de his quidem

elegan-

elegantibus talium litterarum exiſtimatoribus, aequisque arbitris, omne iudicium facile libenterque permittimus: a quibus vel leuiter emendari, vel humaniter reprehendi noſtras opiniones, facillime et aequo animo, patiemur, bene intelligentes, quam difficile ſit, et impeditum, in tam lubricis locis, ſine cadendi periculo, conſiſtere, aut in ambiguis, ſine errore, incedere. Neque vero tam noſtrarum opinionum ſumus amantes, vt rationibus iuſtis, et idoneis inde abſtrahi nos deducique non ſinamus.

Iam Reſcripta ac Decreta Traiani ad ſe vocant. Reſcriptis ac Decretis iam diximus, ius vniuerſe conſtitutum olim non fuiſſe. Neque vero natura eorum, aut conditio id patitur, vt Legum vim habeant. Eo enim tantum animo interponebantur, vt, de qua cauſa aut conſulti eſſent Imperatores, aut cognoſcerent, eam terminarent, liquidoque componerent. Quapropter aliquando Alexander Imperator neceſſe habuit, *Supero* cuidam reſcribere, quod reſcriptum ipſe aut frater ipſius in communi cauſa impetraſſet, id, quamuis ad alterutrum tantum datum, ad vtrumque tamen pertinere. L. 1. C. de diuerſ. reſcr. Quod vero nos Traiani haec reſcripta inter Leges numerauimus, id factum a nobis oportuit. Primo enim ex iis ab ipſis veteribus ICtis petitum arceſſitumque ius fuit, quoniam eorum et ſapientia eminebat, et aequitas: deinde et

ipſa longo, vt iam dixi, vſu et diuturna adſuetudine comprobata, iuris quaſi non ſcripti auctoritatem obtinuerunt. Sed quoniam apud Iul. Capitolinum [e]) Opilius Macrinus Imp. in iure non incallidus, ait, *Traianum numquam libellis reſpondiſſe, ne ad alias cauſas facta proferrentur, quae viderentur ad gratiam compoſita,* ne haec cuiquam dubitatio oberrare poſſit, quaſi Macrinus falſa opinione deceptus fuerit, non alienum erit, quaedam de eo exponere. Sed ratio a nobis, et breuitatis habebitur, et loci. Certum hoc eſt, et extra omnem dubitationem poſitum, Traianum Reſcripta reddidiſſe, quemadmodum et ex iis patet, quae in Pandectis leguntur relata, et ex Plinii epiſtolarum libro decimo. Neque vero aliter fieri potuit, quando hoc magiſtratibus iniunctum erat, vt in cauſis dubiis ad Imperatores referrent, et in certis cauſis etiam nonnullis ſtatuere per ſe non ſuſtinerent. Cum vero Macrinus Imperator in iure non incallidus fuiſſe perhibeatur; [f]) non poteſt profecto, neque hoc ignoraſſe, nec ita ſenſiſſe. Quid igitur? Traianus, animo ad ciuilitatem maxime compoſito, qui vellet reip. libertatem quaſi quandam ſub principatu ſuo conſtare, eoque omnia ſua inſtituta et conſilia reuocaret, is mihi igitur videtur, in iurisdictione, ſe praeſentem ſcripto coram adiri, et *libellis*

e) *Vit. Macrin. c. 13.*
f) *Iul. Capitolin. vit. Macr. in c. 13.*

libellis reſpondere noluiſſe; huiusque ſui inſtituti rationem reddidiſſe, ne ad alias cauſas prorogarentur, porrigerenturque ea, quae ad gratiam compoſita viderentur. Etenim omnibus ciuibus ſuis adeundi ſui coram faciebat copiam, quemadmodum Plinius [g]) de eo teſtatur; et praeſentibus iniungere neceſſitatem, libellis ſibi ſupplicandi, inciuile arbitrabatur, aut inhumanum. Inſtituerat id primo Tiberius, [h]) vt, quamquam praeſens ſcripto, tamen ſemper adiretur: idque ſuperbia quadam, ac tumore animi feciſſe, creditur. Sic Nero apud Suetonium [i]) *in iurisdictione poſtulatoribus, niſi ſequenti die, ac per libellos, non temere reſpondit.* Quam ſuperbiam a ſuis moribus alienam ratus, Traianus Imp. cum iurisdictionem cognitionemque exerceret, non paſſus eſt libellis ſe adiri, neque iis reſpondit. Hanc autem meam ſententiam eo magis nunc probabilem puto, poſtquam intellexi, Virum ſummum, Schultingium [k]) fere ſimiliter Macrini dictum ac verba Capitolini interpretari. Is autem Vir Cel. intelligenda ea putat de priuatorum libellis, quos admittere, quibus reſpondere noluerit.

Iam

g) *Paneg. c. 47. 48. 79.*

h) *Tac. Ann. IV, 30.*

i) *Neron. vit. c. 15.*

k) *Diſſ. pro Reſcriptis Impp. §. VI.* In Diſſertationibus eius p. 176.

Iam in Decretis Reſcriptisque Traiani interpretandis hunc modum tenuimus, vt primo loco ICti eius verba proponeremus, qui ea in commentariis ſuis retulit: deinde, quoniam ſciremus, magnam ad interpretationem Legum vim habere, cognitos habere libros, e quibus iſtae excerptae in Digeſta migrarunt, quaedam, ſi opus videretur, de ipſis illis libris moneremus, traderemusque, comparatis inter ſe fragmentis vnius eiusdemque libri, vti et in tractatione de SCtis, Legibus et Edictis fecimus, quid in eo libro a ICto traditum eſſet, et expoſitum. Nemini enim, qui Labitti *Vſum Indicis Legum* cognouerit, obſcurum eſſe poteſt, quanti, quamque vberes fructus, e diligenti vnius libri reliquiarum adſiduaque collatione, ad Iuris Ciuilis interpretem redundare poſſint. Neque vero alia ratione vſi ſunt Viri in arte noſtra Summi ac Celeberrimi, Cuiacii, Auguſtini, Fabri, Giſanii, Gothofredi, Schultingii, Noodtii, Bynkershoekii, et ſi qui alii elegantes ICti numerantur: quorum ſcripta praeclariſſima huius rei exempla atque documenta edunt. Deinde vero ſi quae occurrerent dubitationes, eas omnes modeſte, quantum potuimus, diſſoluere tentauimus.

In vniuerſum autem eam curam adhibuimus, vt omnia hiſtoriae eius temporis quadam luce colluſtraremus, ſi quidem in

tanta Scriptorum eius aeui paucitate ac penuria, id fieri poſſet. Conſtat enim inter omnes, idque, in vberrimo feraciſſimoque, quem aetas Traiani fudit, ingeniorum ſplendidiſſimorum doctiſſimorumque foetu, mirabile eſt, fere omnes, cum aequales, tum etiam poſteriores, intercidiſſe, qui de rebus Traiani expoſuiſſent. Itaque fere Plinii iunioris epiſtolis et Panegyrico, et Xiphilini excerptis e Dione Caſſio fragmentis contenti eſſe coacti ſumus. Inprimis autem maximos vberrimosque e Plinii iunioris adſidua lectione fructus percepimus: quem Virum cum Traianus laudum ſuarum ac praeclare geſtarum rerum inuenerit praeconem, eumque omnibus temporis iniuriis ſuperſtitem, felix ac fortunatus merito cenſetur. Is enim Vir eſt, cuius ingenium Traiani gloria, et imperium, par ſibi habuit, atque idoneum.

Lectionis varietas ſi qua occurreret, eam adprobauimus ſcripturam, quae loci viciniae, ac ſententiae ſcribentium conuenientiſſima videretur. In quo quidem diligenter elaborauimus, vt rationes idoneas redderemus, et ſententiam noſtram argumentis roboraremus ſuis. Conſtat enim, quam auctoritatem nacta ſit, longo temporis vſu, lectio vulgata, quamque fidem Codex Pandectarum Florentinus habeat, antiquitate et praeſtantia ſcripturae conſtitutam. Itaque non temere, niſi idonea ratione ſuadente, aut neceſſitate cogente, ab iis diſceſſionem faciendam

dam eſſe, duximus. Sin autem aliquam emendationem, corruptis in locis, ſuſciperemus, id factum temere non eſt, idque modeſte tamen ac ſubtimide: propterea, quod eam reuerentiam Libris Iuris Ciuilis putamus habendam eſſe, vt cogendi non ſint, neque ICti ſcribere, neque Imperatores edicere, quod tibi ſcribi, edicique, iuſtum et aequum viſum ſit. Neque vero nos latebat, quanto ſtudio declamaſſent Viri eruditiſſimi in eos graſſatores ac latrones, qui, prout libuiſſet, vrerent, ac ſecarent. In emendationibus tamen ipſis, quaſi veſtigiis lectionis corruptae ita inhaeſimus, vt, quomodo librarii labi potuerint, atque aberrare, inde ſimul poſſet intelligi. Inprimis vero ſtudioſe indicauimus, ingenueque profeſſi ſumus, e quorum ſcriptis profecerimus: qui ea ſimus ſententia, nihil eſſe indignius homine liberali, quam aliena compilare, iisque ſe exornare velle. Cum vero fieri vix poſſit, vt omnes eadem probemus, ſaepeque numero ab alterius opinione recedendum videatur, id a nobis, litteratiſſimis eruditisque Viris, vti oportebat, ita tributum eſt, vt humaniter diſſentiremus, et ſententiam eorum, argumentis adlatis, modeſte refelleremus. In quo autem putaſſemus viuentem aliquem Virum doctum aberraſſe, ſententiam eius, non expreſſo nomine, honoris cauſa, reprehendimus. Longe enim abſumus ab eorum haereſi, qui Virorum doctorum re-

prehen-

prehenſione, atque refutatione, aliquod gloriolae aucupium quaerant, et, vt ipſi docti numerentur, alios non fuiſſe, adſidue conentur oſtendere. Ad finem libelli breuiter de ſtatu Iuris Ciuilis ac Iurisprudentiae ſub Traiani imperio diſputauimus. Neque enim hoc inutile aut infructuoſum putabamus fore, ad hiſtoriam Iuris Ciuilis deſcribendam, ſi, quae ſub ſingulis Impp. facies Iuris Ciu. ac Iurisprudentiae fuiſſet, in vniuerſum adumbraretur. Neque vero in ſingulis Iuris Ciu. capitibus id effici, in Traiani quidem imperio, videbatur poſſe, propterea quod pauciſſima ad noſtram eius temporis monumenta memoriam peruenerunt. Id autem a nobis ad calcem operis reiectum eſt id circo, quod iam Leges et conſtitutiones Principis ipſius cognitae eſſe debent, ante, quam Iuris Ciuilis in vniuerſum ſpecies quaedam efformetur. Ipſi denique commentario de Legibus Traiani praemiſimus vitae Traiani breuem quandam adumbratamque ſpeciem: quae vt morum animique Imperatoris Optimi quandam quaſi formam, et ſtatus eorum temporum, quibus ad imperium peruenit, imaginem exprimeret, ſtudioſe a nobis eſt diligenterque elaboratum. Videbatur enim id praecipue neceſſarium, ad Principis alicuius Leges intelligendas, eſſe, vt, quibus moribus, quo animo fuiſſet Legislator, quibus vitiis et tamquam morbis reip. medicinam feciſſet, ante omnia cognoſceretur. Praeterea animus

erat,

erat, Reſcripta Traiani ad Plinium in libro decimo epiſtolarum, quamquam proprie ad Leges Traiani non pertinent, tamen, quia inde Ius Ciuile illuſtrari quodammodo poteſt, huic commentario adiecta explicare. Sed feſtinantibus operis, ac libello iam vltra praefixum modum aucto, coacti ſumus conſilium mutare, aut differre in aliud tempus, quo forte, ſi Deo placuerit, de Plinii Legatione Pontica, ac prouincia Bithynia, ſingulari libello, ac proprio, diſputare poterimus. Ceterum etiam atque etiam rogatos lectores noſtros cupimus, vt, ſicubi forte titubatum a nobis offenſumque deprehenderint, id rerum antiquarum difficultati, obſcuritatique, condonare, et, ſi ita placuerit, humaniter, modeſteque nos monere, vel reprehendere atque corrigere, ne dedignentur. Qua quidem re, magno nos beneficio obſtrictos obligatosque putabimus. Quod ſi vero elegantibus intelligentibusque harum rerum iudicibus hanc opellam noſtram non improbari intellexerimus; id, quod vehementer cupimus: vberrimos laboris noſtri fructus retuliſſe, et ſummam laudem conſecutos nos eſſe, arbitrabimur. Scr. Lipſiae CIↃ IↃCC XXXXVII. in ipſo mercatu vernali.

VITA

VITA IMP. TRAIANI.

Cum, qui de legibus et inſtitutis alicuius principis diſputare ſuſceperint, hanc rationem debeant viamque tenere, vt ante ipſius Principis vitam, mores animumque, breui quaſi in tabula effingant, et formam quandam reip. ac ſtatus deſcribant; idem et nobis conſilium ſequendum arbitramur, de Legibus inſtitutisque Traiani expoſituris. Conſtat, quantum ſui cuiusque mores Principis, quantum animi ſtudia, ad remp. conſtituendam. et Legibus conformandam, valeant. Quis enim eſt, cuius in rerum apud Rom. geſtarum memoria animus tanto opere peregrinetur, quin ſciat, vti quisque fuerit bonus vel malus, ita quoque inſtitutis ac Legibus remp. vel emendatam fuiſſe, vel corruptam? Concupiuit aliquis, reip. ac ciuium ſalutem fundare, et veram gloriam apud poſteros, non coactas a praeſentibus et inuitis expreſſas laudes, quaeſiuit? At hic omni ſtudio atque intentione elaboraſſe in eo deprehendetur, vt ſalubres, opportunasque Leges ferret, et inſtitutis eiusmodi temperaret remp. quae commodis augerent ciues, et adiuuarent, non quae incommodis multarent, calamitoſisque neceſſitatibus frangerent. Luxuriae aliquis auaritiaeque indulſit? Solummodo fiſcum locupletare, et pecunias, libidine atque inſanis profuſionibus hauriendas, congerere et cumulare conatus

natus

natus omni ope, reperitur. Quid vero? Si verum eſt, ad formam ſtatumque reip. Leges adcommodatas eſſe debere, neceſſitatibus reip. Legum vim ac remedia, et vſibus inſtituta proferri atque creari: qui alicuius temporis Leges explicare velit aut intelligere, quibus neceſſitatibus, quo rerum ſtatu Leges iſtae expreſſae fuerint, quin tenere debeat, quis eſt, qui poſſit vllo modo dubitare? An vero hiſtoriam belli alicuius rationesque rerum geſtarum animo complecti, et imbibere, qui velit, omnem ſtatum formamque reip. omnes antegreſſiones, et quaſi praecurſus praeſentes habere debebit, vt et ipſam facti ſpeciem, et, cur ita euenerit res, non aliter proceſſerit, cur offenſum tunc titubatumque fuerit, perſpicere recte planeque poſſit intelligere? Leges autem enarrare cupienti vel cognoſcere, quibus remedia quaeſita ſunt ad mala, opus non erit, qualia mala fuerint, animo complecti, ſcientia tenere?

M. Vlpius Traianus [a]) a. d. XIV. Kal. Octobr. a Chr. 53. natus eſt Italicae, Hiſpaniae

a) vt edit eum diem vetuſtum *Kalendarium* a BVCHERIO primum, auctius deinde ALAMBECIO vulgatum: ex his autem Kalend: certiſſimam Imperatorum Natalium notitiam hauriri poſſe, docet DODWELL. *Prael. Cambd. II. et III.* confirmat PLINIVS *Paneg. c. 92.* ſignificans natum eo die, quo interfectus Domitianus: qui XIV. Kal. Oct. interfectus eſt. SVET. 17. v. DODWELL. ibid. *IV.* in. MASSON. *vit. Plin. p. 59*

ſpaniae municipio [b]) quae Hadrianum quoque ipſius cognatum ac ſucceſſorem in imperio progenuit. Patre vſus eſt *Traiano* non nobili illo quidem, atque vltimae ſtirpis Rom. ſed ciue tamen, ſed qui rebus bello praeclare geſtis Conſulatu, ornamentisque triumphalibus ornatus, et in Patricios adlectus ſit. [c])

Cum pater militiae ſagoque clarus bellicam laudem adamaſſet, et ipſe, ſiue patris iuſſu, ſiue originis ac ſanguinis ingenio, mature eidem ſe gloriae ſtudio mancipauit. Neque vero in eo aut ſuae aut patris laudi defuit, qui *puer admodum Parthica lauro gloriam patris auxerit.* [d]) Pater enim Traianus bellum Parthicum, Corbulone duce a. Chr. 58. auſpiciis Neronis coeptum, gerens, hac laudis futuraeque magnitudinis praerogatiua, a filio admodum puero honeſtatus eſt: Quo tempore Traianus admodum XII. annos natus fuiſſe, e rationibus Dodwellianis, [e]) videtur.

b) APPIAN. *Iberic.* et HADRIANVS in libro *de vita ſua* ap. SPARTIAN. *c. 1.* vt errauerit DIO CASS. *LXVIII. p. 771.* qui eum nec *Italum* nec *Italiotam* tradit fuiſſe. v. DODWELL. *Prael. Cambd. IV, 6. p. 221. ſeqq.*

c) PLIN. *Panegyr. c. 29.* EVTROP.

d) PLIN. *Panegyr. 14.* vbi vid. GESNERVS, Vir Cel. omni mea laude maior.

e) DODWELL. *Cambd. Prael. IV. p. 219.* vt conueniat ann. Chr. 65. quo Traiani exemplo refellitur quoque ANT. AVGVSTIN. *libro ſingulari ad Modeſtin. de Excuſat. p. 340.* qui putat ante pubertatem militare potuiſſe neminem.

tur. Anno Chr. 67. Iaphae expugnandae in Leg. X. tribunus milit. adfuit Traianus aetatis anno XV. auctore IOSEPHO,[f]) quem locum mihi dubium non eſt, quin, partae laudis proemium ab Imperatore, virtutis bellicae intelligentiſſimo aeſtimatore, tanta aetatis tenellae maturitate, obtinuerit. Quapropter non eſt mirum, ſi, in Germania paullo poſt eodem numero atque honore ſtipendia faciens, *ſuperbiam ferociamque barbarorum ex proximo auditus magno terrore cohibuit*, *Rhenumque et Euphratem admirationis ſuae ſocietate coniunxit, iam tum nomen Germanici*, etſi non adeptus, *meritus* tamen.

Praeturam geſſit ante ann. Chr. 85. [h]) ſiue potius a Chr. 83. ſi DODWELLI [i]) ſententiam, amplecti voluerimus. Vnde in Hiſpaniam profectus, inde vero Romam a. 91. contendens ad Conſulatum capeſſendum, Hadrianum ſecum a patria abduxit, et pro filio habuit. [k]) Conſulatu autem ordinario, colle-

f) *Bell. Iud. III, 11.* quem locum quamquam ſcio ad patrem Traianum referri. v. c. a TILLEMONTIO *Hiſt. Imp. T. II. P. I. p. 237.* tamen mihi quidem haec laus reddenda videtur noſtro, quia pater ipſius Legatus antea vniuerſo alicui praefuerat exercitui, vt ei nunc tribuni militum ordidem tenere minime conueniat.

g) PLIN. *Paneg. c. 14.*

h) *Spartian. Hadr. c. 1.*

i) *Prael.Cambd. IV. 1.ſeqq. p. 206. ſ.* qui rationes ex lege annali ducit.

k) SPARTIAN. *Hadr. c. 1.* v. DODWELL. *Cambd. Prael. V, 12. p. 268.*

collega M. Acilio Glabrione a. Chr. 91. functus, in Hiſpaniam, patriam ſuam ſe retulit, tempore illo bonorum inſidioſiſſimo, et ſuſpicioſiſſimo commotus. Sed quanquam Domitiani tunc Imperatoris ac Caeſaris improbitas, virtutibus omnium bonorum infenſa, neminem magis odio habebat, quam qui bellicae ſcientiae ac fortitudinis laude excellerent; tamen, neceſſitate ſumma cogente, in Germaniam, officium tunc detrectantem mitti aliquem, qui talibus hoſtibus coërcendis par eſſe poſſet, non potuit, aut debuit alium huic negotio tam graui deligere, quam cuius ſumma documenta Virtutis et plurima extarent. Reuocatus igitur Traianus ex Hiſpania et miſſus in Germaniam eſt cum imperio a. Chr. 95. [1]) vt barbaros in officio ac fide aut retineret, aut reduceret. Qua quidem in prouincia, quamuis ſummum amorem militum ſibi conciliaſſet, fidemque eorum ſibi adſtrinxiſſet, maxima prudentia et bonitate ſua; ita vt facile poſſet contra Domitianum, generis humani hoſtem, inſurgere, imperiumque, militum fauore ſibi adſerere, tamen in officio ac fide erga eum manere maluit, qui fidem elegiſſet ſuam.

Interea dum ibi cum exercitu agit, tandem remp. Romanam Libertas reſpexerat, eamque, ſublato Domitiano, in ſinum Neruae contulerat, vt, poſt tot tantasque mo-

1) DODWELL. *Cambd. Prael. IV. p. 219.*

leſtias optimi prudentiſſimique principis opibus recrearetur. Euenit id a. Chr. 97. Quod quidem cum diligenter ſtudioſeque faceret bonus ille princeps, et, ſi optimum non elegiſſet ſucceſſorem, optimus: tamen et animi quadam ſui lenitate et ſenectute contemtus, intellexit, remp. ſuis ſolius humeris ſe ſuſtentare non poſſe, nec perferre onus illud, niſi in ſocietatem laboris curarumque ſuſcepiſſet eum, qui conſilio ac ſapientia ſua omnibus reip. vitiis mederetur. Coactus erat a militibus Praetorianis, inſtinctu Aeliani Caſperii Praef. Praet. eos ſupplicio ac morte multare, qui pulcerrimum, ac ſaluberrimum facinus auſi, Domitianum reip. imperiique parricidam, necaſſent. m) Qui compelli potuiſſet, ad tam durum acerbumque conſilium, qui poenas ac ſupplicia ſtatueret in eos, qui remp. liberaſſent a pernicie; is parem ſe ceteris officiis, atque muneribus futurum crederet? Itaque cum adlata e Pannoniis laurus n) eſſet, in gremio Iouis Capitolini deponenda, in templo inter altaria et aras Traianum adoptauit: quod factum eſt a. Chr. 97. circa finem Octobr.

m) PLIN. *Paneg. c. 6.* XIPHILIN. e *Dionis Lib. ſexageſimo octauo.*

n) PLIN. *Pan. 8, 3.* XIPHILIN. l. c. h. e. *laureatae litterae*, quales a victoribus Imperatoribus Romam mitti ſolebant: quas ab ipſo Traiano miſſas interpretatur DODWELL. *Cambd. Prael. VI, 5. p. 273. ſeqq.* ab alio; rectius MASSON. *vit. Plin. iun. p. 51.*

Octobr. die [nempe XXVII. o) Quae quidem adoptio hanc vim habuit, vt eum, non ſolum priuatim filium heredemque, ſed publice quoque ſucceſſorem, adſciſceret: *Caeſarem enim* eum creauit ſtatim in Senatu: ac paullo poſt Imperarorem, conſortemque tribuniciae poteſtatis fecit. p) Cuius adoptionis fama cum percrebruiſſet,

b 4 tanta

o) v. DODWELL. *Cambd. Praet. IV. 8. p. 230. ſeq.* et *Adpend. Diſſ. Cyprian. §. 42.*

p) PLIN. P. 8. *fin. Simul filius ſimul Caeſar: mox Imperator et conſors tribuniciae poteſtatis: omnia pariter ac ſtatim factus es. Filius* factus eſt per adoptionem ita, vt eum in nomen priuatum familiamque ſuam adſciſceret. *Caeſar* autem, quoniam deſtinatus eſt ſucceſſor. Id enim nomen ita cœptum eſt vſurpari, poſtquam Galba Piſonem adoptauerat: et ſub hoc nomine ſpem ſucceſſionis attribuerat. TAC. *Hiſt. I, 19.* cum antea familiae tantum non dignitatis nomen fuiſſet. Igitur errat SPARTIAN. *Ael. Ver. c.* 1. qui *eum primum Caeſaris nomen tantum accepiſſe adoptione* ſcribit. Errant cum eo viri docti. At neque Piſonem primum *Caeſarem* dictum hac vi fuiſſe exiſtimat PAGIVS *Diſſ. Hypat. P. II. c. I. p. 89.* Sed *Neronem* a Claudio adoptatum a. Chr. 51. Verum ego a tanto Viro, quod iure quodam et praefiſcini facere licebit, diſſentire non dubito. Dictus fuit *Caeſar*, concedo: ſed quemadmodum ante eum Tiberius: ſed dignitatis non erat, ſed familiae nomen, in quam adoptione tranſierat. *Imperator* autem factus eſt Traianus, cum *Proconſulare imperium*, ſeu *Proconſulatum* accepit. v. PAGIVS *Crit. Baron. ad h. a.* et ad *a. 51. Conſors Tribuniciae poteſtatis*, h. e. collega imperii ſed inferiori tamen ordine, Nerua tamen Auguſto minor.

tanta apud omnes vbique exercitus laetitia peruagata eſt, vt certatim gratulatum ei legatos mitterent. Exercitus quidem in Moeſia inferiore ad eum in Germaniam Hadrianum miſit. [q]) Etenim tunc ipſe in Germania inferiore cum exercitu haerebat, [r]) non in Pannonia, quemadmodum putat DODWELLVS, [s])

Quoniam vero haec conſuetudo erat Romanis principibus, vt quando ſucceſſorem legerent, Conſulatum et ipſi ſibi ſumerent eo anno, et inſequenti Conſulatum tribuerent deſtinatis ſucceſſoribus [t]) ordinarium: vtrumque non neglexit Nerua Auguſtus; qui et tunc, cum adoptaret Traianum, Conſulatum gereret, et Traianum proximis Kalendis Ian. nim. a. Chr. 98. ordinarium Conſulatum, ſe collega adſcripto, ſuſtinere, iuberet: Quem ille abſens in hoſtico, adſidens barbaris gentibus, geſſit: [v]) vt tunc, magno interuallo rurſus Conſulares faſces, lictores, trabeamque, et extructum viridi de caeſpite tribunal Conſulis, viderent hoſtes, an timerent? Sed parum erat, minusque ſalubre reip. talem ſucceſſorem expectare diu: niſi fortuna imperii eum feſtinaſſet ad gubernacula reip.

q) SPARTIAN. *Hadr. c. 2.* vid. MASSON. *vit. Plin. iun. p. m. 51.*
r) v. MASSON. l. c.
s) *Prael. Cambd. VI. p. 273. ſqq.* refutatus a MASSONIO l. c.
t) v. PAG. *Diſſ. Hypat. P. II. c. I. p. m. 79.*
u) PLIN. *Paneg. c. 56. 59.* SPARTIAN. *Hadr. c. 2*

reip. admouere. Paullo poſt ergo anno 98. die XXVII. Ianuarii Nerua Auguſto mortuo, nunciataque ea re per Hadrianum, [x]) imperium nomenque Auguſti, abſens adhuc in Germania, ſuſcepit Coloniae Agrippinae [y]). Quo facto, ſumma reip. ad ipſum ſolum delata, tamen non hunc ſolum alterum Conſulatum ſuum, ſed etiam ſequentis anni potiſſimam partem cum exercitu in hoſtico egit, ac barbaros metu magis ac terrore ſui nominis, quam armis, ac iuſtis proeliis, perdomuit. [z])

Sed hic locus admonet nos noſtri promiſſi, vt de moribus, animo Traiani, qui vir, qualis Imperator, quam bonus Princeps, fuerit, dicatur. Cum ad imperium eueheretur, viridi adhuc flore vigebat aetatis, natus quippe annos XLII. Exſplendeſcebat in eo firmitas proceritasque corporis, honor aetatis et dignitas oris, ad illud aetatis indeflexa maturitas, nec ſine quodam munere diuino feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam maieſtatem ornata caeſaries. [a]) Eminebat ſumma in eo bonitas, moderatio ac tempe-

 rantia

x) SPART. *Hadr. c. 1.*

y) EVTROP. VICTOR. *Epit.* v. CASAVBON. ad *Spart. Hadr. c. 2.* cf. MASSON. *vit. Plin. ad a. Chr. 99. p. m. 51. ſeq.* vbi DODWELLVS. *Prael. Cambd. VI.* refellitur, qui falſum eſſe defendit teſtimonium Eutropii, ac Victoris, Traianumque tunc in Pannonia fuiſſe, dicit.

z) PLIN. *P. c. 56.*

a) PLIN. *Pan. 4, 7.* XIPHILIN. e *Dion. Lib. LXVIII. p. 785.*

rantia egregia, in amicitia ſimplex et non fucata fides, magnus ſine inuidia animus. In conuictu facilitas eum, morumque humanitas, commendabat, ſed eiusmodi, vt tamen nihil ſeueritati eius hilaritate, nihil maieſtati humanitate, decederet. Quid? quanta liberalitas, quam elegans, et ſine ambitione, munificentia In priuatum modicus, magnificus in publicum: ſine faſtu modeſtus, ac temperans in victu cultuque, adſentationi omni infenſus. Ac tametſi, caſtris militiaeque innutritus, parum litterarum, [b]) parum eloquentiae teneret; tamen amore, fauore ac ſtudiis ſapientes ac litteratos amplectebatur, colebat, fouebat: et omnia ea faciebat, ſolo ingenio, et indole edoctus, quae ſtudiis ac litteris parantur. [c]) Imperator ac dux egregius, bellator ſtrenuus, omnia et ducis ſimul et militis munia in expeditione, explebat. Qui cum gloriam militarem a teneris, vt aiunt, vnguiculis, adamaſſet, tamen pacem pacisque artes excellenti amore ac ſtudio colebat. Iuſtitiae aequitatisque amantiſſimus, ius ſuum cuique pro dignitate et merito tribuebat. ICtis egregiis vſus eſt, in cognoſcendo, iudicando, iure conſtituendo, adhibitis, veluti Neratio Priſco, valde ipſi caro. Cum omni ſtudio bonos ac bene meritos honoribus ac dignitate ornaret, prauos non puniebat ille qui-

b) IVLIAN. *Caeſ.* XIPHILIN. e *Dion. p.* 772.
c) PLIN. *Pan.* 47.

quidem ſed cohibebat tamen, vt timendi non eſſent, ſed timerent ipſi. d) Laboris patientiſſimus, induſtrius ac diligens, pleraque per ſe non per alios, gerebat, nec aliis magis credebat, quam ſibi. Populis omni cura ac ſollicitudine proſpicere, beneuolentia ſubuenire, nullius neceſſitatibus, aut vſibus deeſſe. Omnes ſuos amabat, ipſe amabatur ab omnibus. Ab omni crudelitate et rapacitate alienus, collationibus nouis, et iniquis tributis populos vexari non pati, vetera dura, et grauia abolere. Quanta eius inductio animi, quanta fiducia, bene adminiſtrandae reip. fuerit, inde patet, quod vota pro ſalute ſua nuncupari aliter non ſiuit, quam *ſi bene, et ex vtilitate omnium, remp. rexiſſet.* e) Cum Saburanum quendam Praefectum Praet. creaſſet, gladio eum accingens, *Vtere pro me*, inquit, *ſi bene remp. geſſero; ſin male, contra me.* f) Magiſtratuum cognitiones ad ſe non rapiebat, g) neque libertis, vt ſuperiores, permittebat. h) Neque vero coniugi ſuae aut ipſe nimium indulgebat, obſequebaturque: quantumuis eam diligeret, quae nec ipſa amore mariti erga ſe vſa, ſuam potentiam late in imperio euagari ſinebat et excurrere: raro in amore procerum exemplo, vterque ſui officii memor. Iam

d) PLIN. *P. 46.*
e) PLIN. *P. c. 67.*
f) XIPHILIN. e *Dion. lib. ſexageſimo octauo:* adludit PLIN. *P. c. 67. fin.*
g) PLIN. *ep. VI, 31.*
h) PLIN. *Pan. c. 88.*

Iam porro, cum viderimus de Traiani moribus, et ipſius reip. ſtatum neceſſe erit paucis cognoſcere. In vniuerſum autem imperium et ab inteſtinis, et ab externis malis calamitatibusque vrgebatur grauiſſime. Illinc mali ciues, ac vitia improbiſſima; hinc infenſi hoſtes ac bella grauiſſima circumſtabant. Illud auaritia, libido, et crudelitas ſuperiorum tyrannorum; hoc ignauia, ac leuitas attulerat. Ac quod ad internam quidem reip. faciem attinet, eam tot corruptelae labesque deformabant, vt optimum eſſe ſapientiſſimumque oporteret eum, qui omnia ea vitia depellere deberet. Extinctus in hominibus pudor, deerat vulgo honeſtas, exulabat fides, nullum ius, nulla iudicia. Quid enim? Quis neſcit, quantae fuerint aerarii fiſcique rapinae, quantae delatorum iniuriae? quot et quam grauia pericula manſerint eos, qui pecunia ac diuitiis abundarent? *Lex Viceſimae heredatium, Lex Voconia*, quae ſiue ad vtilitatem reip. ſiue ad locupletandum aerarium, ſed ſine cuiusquam iniuria, comparatae inuentaeque erant, eaedem, ad euertendam remp. atque labefactandum cuiusque boni ſtatum, conuerti ſolebant. *Lex Iulia maieſtatis*, lata ad coercendam improborum ciuium aduerſus remp. audaciam, ad crimina innocentibus facienda transferebatur: Cum enim delatoribus proemia eſſent conſtituta, quibus fruerentur, ſi reos conuiciſſent: facile fiebat, vt homines le-

ues

ues diſſolutique ad improbas iſtas inhoneſtasque operas accederent, et quoniam certa pars bonorum damnati propoſita erat, inprimis pecunioſos ſiue nocentes, ſiue innocentes, reos criminum, atque maleficiorum facerent. Nunc contra Legem caducariam aliquid cepiſſe, nunc Iuliae Papiae, non ſatisfeciſſe, nunc Voconiam laeſiſſe deferebantur. Sed non omnes tamen harum Legum rei fieri poſſunt? Quid igitur? Omnium criminum complementum, ſiue potius omnium innocentium ſolum et vnicum crimen ſupererat, crimen maieſtatis. Quam facile erat aliquem alicuius vel dicti vel facti aduerſus principem arguere? Id enim facile apud magiſtratus recipiebatur, audiebaturque, tum quia lubricum erat inſidiarum indicium negligere; tum quod ſerum eſſet, expectare velle, et tum demum ad puniendum conuerti, quando omnibus eius veritas conſtitiſſet. Non enim principi de inſidiis ſibi factis querenti, inquit Imp. Domitianus, *temere creditur*, *niſi occiſo*. Deinde Imperatores, qui, quanto ſe odio ciues habere deberent, malefactorum conſcientia moniti, noſſent, quae crimina aduerſus ſe proferrentur, his illos facillime et aures et fidem adhibuiſſe, quis eſt, qui miretur? Accedebat huc iudicum timor, ne, ſi reus abſolueretur, ſocii ipſi auctoresque exiſtimarentur; Imperatorum ſtudium, augendi exuuiis damnatorum ciuium ſpoliisque fiſci ſui; fauor et gratia, proemia et honores,

quibus

quibus ii adficiebantur, qui nomina aliorum detuliſſent. Quae omnia faciebant, vt ad deferendum certatim concurrentibus, nec res familiaris, nec teſtamentum cuiusquam certum eſſet: vt nemo fere ſciret, cui credere deberet, quem cauere; ſiue potius omnes metuere, omnes cauere. Liberti aduerſus patronos, ſerui aduerſus dominos agere: cognatis propinqui, liberi parentibus, litem ac pericula intendere: bellum omnium aduerſus omnes internecinum. Quae hominum leuitas et malitia accendebatur eo magis, quod in ciuitate, vt tum erat, vulgo luxu immerſa ad perdita, nulla neque maior eſt, neque ac plures pertinens, quam pecuniae quauis ratione comparandae cupiditas. Erat autem tum luxuria, atque gulae, aliarumque libidinum voluptatumque amor, omnium Romanorum fere animos peruagatus. Cum enim Impp. iſti principatum in vſu omnium libidinum poſuiſſent ſuum, atque nullum genus vitiorum ac luxuriae reliquiſſent, in quo non iactati ſumma infamia, volutatique iacuiſſent: ciues ſummum illud, et ad ſubiectorum animos efficaciſſimum exemplum, principis mores, maximo ſtudio ſubſequi contendebant. Exiſtit autem tum maxime auaritia, ac pecuniae cupiditas, cum, quam ſuauiter, et iucunde conſumi ea poſſit, cognitum eſt vſu atque perſpectum. Quanta igitur calamitas obſidere remp. debuit, quando luxuria

publica

publica auaritiam iniuſtitiamque ad vniuerſos ciues pertulit? vt neque priuati homines, neque magiſtratus, nec iudices, nec ſenatores, puros a cupidinibus animos, nec integras a pecuniis manus, abſtinuerint. Non officium aut aequitas in magiſtratibus, non rei veritas ac religio in iudiciis, non auctoritas et dignitas in Senatu, ſed pecuniae cupiditas, ſed libido, dominabatur. In magiſtratibus petendis ambitus crimen, in gerendis repetundarum committi: honores emtitari, vt venderentur: pecunia ac munera ſuffragatoribus dari: vt eripi largior et cum fructu, extorquerique priuatis poſſet. Neceſſe eſt enim, qui rei familiari damnum et iacturam in petendo attulit, eum, vt ſarciat rurſus ac reſtituat, laborare. In iudiciis pecunioſa malitia pro innocentia, et innocentia pecunioſa pro malitia habebatur: religio iudicantis ac fides lucro et vtilitati ceſſerat. In Senatu autem auctoritas et dignitas ſenatoria plane pulſa locum vacuefecerat improbis ſordibus. Hinc ciues ſpoliari, prouinciae exhauriri, reſp. frangi atterique. Quot in Caeſarum hiſtoria ſpoliatorum ciuium? Quot apud Plinium, vexatarum prouinciarum, magiſtratuum accuſatorum, exempla reperiuntur? Pro Coſſ. e Bithynia multi, ex Hiſpaniis, ex Africa aliisque prouinciis rei facti.

Iam quod ad externa illa mala attinet, quibus resp. preſſa iacebat; ea incurſionibus

bus barbarorum in imperium R. et rebellionibus prouinciarum augebantur. In quo quidem contemtus Imperatorum maximam partem culpae ſuſtinuit. Intellexerant enim barbari ſenſerantque infirmitatem nominis Rom. cum aliquoties pulſi fugatique oſtendiſſent, vinci iam debellarique Romanos, ſi animus hoſtibus non deeſſet, poſſe. Diſciplina militaris penitus collapſa, omnem exercitibus vim, omne robur ademerat. Namque cum omnis Impp. ſecuritas, omnis vis dominationis, in militum tutela ac praeſidio, in amore ac fauore niteretur: omnem illis, ſumma indulgentia, licentiam permiſerunt, grandia commoda, ac donatiua erogarunt: Quae quidem Imperatorum facilitas non potuit diſciplinam militarem, non euertere. Huc accedebat, quod Imperatores, virtutem ac ſcientiam militarem, cum metuentes tum exoſi, peritos ſcientesque duces domi ſuae abditos latere, quam foris exercitus ac remp. gerere, mallent. Metuit alienam virtutem, qui non confidit ſuae: et qui improbos probat, non poteſt non probos improbare. Quare qui illud ſcirent ingentes ac praeſtantes viri, ii ſuae ſe virtutis conſcientia ab illis tam periculoſis muneribus reuocari facile patiebantur; et in occulto quaſi vmbra deliteſcere ignoti Imperatoribus, et obliuione quaſi oblitterati, cupiebant. Contra autem improbi imperitique, ab eo metu, iisque periculis tuti,

Impe-

Imperatoribusque cari, ad ſumma quaeque et grauiſſima munera, deligebantur: Nec fieri adeo aliter poterat; quin, diſſoluta re diſciplinaque militari, imperitis ſtultisque ducibus ac legatis, virtus Romana deficeret, hoſtium viribus, atque conatibus, cederet. Hinc ſub Domitiano imperium Romanum, vndique infeſtiſſimis armis petitum, parum aberat, quin ad priſtinam iam tum tenuitatem redigeretur. Hinc Britanni, Germani, Pannonii, Daci, Marcomanni, ſiue rebellarunt, ſiue aduerſus Rom. Imp. bella mouerunt.

Quo ſtatu cum Traianus, Romam anno Chr. nonageſimo nono vergente ſumma cum laetitia plauſuque populi reuerſus, remp. inueniſſet: omnem curam induſtriamque impendit, vt, quibus laboraret incommodis, mederetur. Inprimis autem vt bonis magiſtratibus resp. committeretur, et optimatibus, SCto edictoque ambitum coercuit, legem tabellariam induxit, et, vt ciuitas annona adflueret, legibus et inſtitutis prouidit, tertiamque patrimonii partem conferre candidatos iuſſit in ea, quae ſolo continerentur. In comitiis autem conſularibus, tandem Senatus precibus commotus, candidatum ſe oſtendit, et cum in petendo, tum in capeſſendo Conſulatu non aliter, quam priuatus quiuis, ſe geſſit. Etenim, comitiis peractis, ad Conſulis comitiis praeſidentis tribunal conſtitit, et iusiurandum ſolenne,

verba praeeunte Conſule, praeſtitit. Cum autem anno ſequente iniiſſet Conſulatum, [i]) omnia officia et munera Conſularia diligenter curioſeque, et Senatu habendo, et iure dicundo, cognoſcendoque, obiit. Inprimis autem nouis inſtitutis remp. temperauit et legibus, Conſulis inprimis hanc curam eſſe ratus, vt legibus ferendis remp. formaret, ornaretque. Neque vero improbabile eſt, eum propterea Conſulatum ſuperiori anno detrectaſſe, quod abſens eum gerere nollet, ſed potius leges in primo poſt acceptum imperium Conſulatu condere in animum induxiſſet, inprimis cum haec Imperatorum conſuetudo eſſet, vt in primo Conſulatu, legibus ſanciendis potiſſimum vacarent. [k]). Primum igitur populo congiaria, donatiua militibus, alimenta pueris ingenuis, dedit. Curſum publicum conſtituit, viceſimam hereditatium mitigauit, vetera aerario debita remiſit, fiſci, aerariique iniurias cohibuit, delatorum calumnias compeſcuit, crimina maieſtatis abrogauit, Pantomimosque expulit,

i) De hoc tertio Traiani Conſulatu v. MASSON. *vit. Plin. iun. ad h. a. p. 58. ſq.*

k) Leges iſtas ad hunc tertium Conſulatum recte refert MASSON. *vit. Plin. p. 61.* cum alii iam ſuperioris anni exitu ſancitas putent. Etenim cum hic mos eſſet Impp. vt, quo anno Conſulatum gererent, legibus remp. fundarent: v. PAG. *Diſſ. Hypat. P. II. c. II. §. 18.* cum inprimis veteres Conſules leges tuliſſent: Traianus, antiqui moris obſeruantiſſimus, alio tempore legibus condendis operam dediſſe non videtur.

lit, accuſationes ſeruorum aduerſus dominos, libertorum aduerſus patronos, ſuſtulit. Quibus omnibus benigne humaniterque conſtitutis id conſecutus eſt, vt cognomine *Optimi Principis* a Senatu ornaretur. [l]) Denique in Comitiis conſularibus ſe Conſulem, collega S. Articuleio Paeto, deſignari in annum ſequentem paſſus eſt, propterea, quod bellum in hoc Conſulatu Decebalo regi Dacorum inferre decreuiſſet. *) Nam cum Domitianus, ſaepe pulſus fugatusque, a rege Decebalo pace indignis conditionibus, iniquis legibus emta, tributum quotannis Dacis ſoluturum ſe eſſe promiſiſſet: eaque re Dacis animus ac ferocia creuiſſet: Traianus iſtam pacis indignitatem grauatus, contumeliam et onus tributi ab imperio R. depellere ſuſcepit. [m]) In quo quidem conſilio eo magis confirmatus eſt, quod Decebalus ipſe quibusdam iniu-

l) Non dubium eſt, quin aequiſſimae iſtae, et bonitatis pleniſſimae leges effecerint, vt hoc ei cognomen tribueretur. Cum vero oſtenderimus, Leges iſtas in tertio Conſulatu conſtitutas fuiſſe, et hoc cognomen eo referendum erit. PLINIVS in Panegyrico, ſub finem *anni Chr. C.* dicto, id memorat: adeo, vt neceſſe ſit erraſſe DIONEM *in Lib. LXVIII.* qui, poſt captam demum Armeniam, Traianum a Senatu OPTIMVM adpellatum ſcribat. v. DODWELL. *Prael. Cambd. IV. 7. p. 224.*

*) Propter expeditiones enim militares Conſulatum ſumſiſſe Impp. docet PAGIVS *Diſſ. Hypat. P. II. c. VIII. §. 4. p. m. 173.*

m) DIO. *Lib. LXVIII. p. 771.*

riis hoſtilibus pacem laeſerat. [n]) Itaque ipſe aduerſus Decebalum profectus, multis victoriis, occupata Zarmizegethuſa, regni Dacici ſede, et ſorore Decebali capta, Decebalum eo redegit, vt, tradita magna regni ſui parte, pacem a Traiano, et huius iuſſu, a Senatu peteret: qua facta, Traianus Romam triumphans rediit, et *Imperatoris III* titulum, cognomenque DACICI [o]) ſuſcepit. Cumque hoc anno labente Afranius Dexter Coſ. a ſeruis libertisque ſuis interfectus eſſet, SCto caueri iuſſit, vt in libertos quoque quaeſtio haberetur, quod in Digeſtis quoque relatum legitur. Anno inſequente *Surano et L. Licinio Sura Coſſ.* a. *Chr. 102.* Traianus Romae fuit, et legibus ferendis, et exercendis cognitionibus boni Imperatoris officio functus eſt. Etenim patronorum praeuaricationibus, et mercedis exactionibus, SCto ad Legem Cinciam facto, edictoque, modum poſuit. In quam curam quoque, *Traiano Aug. V. et L. Appio Maximo II. Coſſ.* Imperator incubuit. Cum enim cognitionibus habendis intellexiſſet, praeuaricationes calumniasque potiſſimum ea re fieri, quod accuſatores ſine abolitionibus ab accuſatione deſiſterent; [p]) SCtum Turpillianum, in deſuetudinem lapſum, re-

uocari

n) DIO. ibid.

o) V. MASSON. *vit. Plin. p. 65. ſqq.*

p) PLIN. *ep. VI, 31.*

uocari in vſum, ſeueriusque ſanciri SCto q) iuſſiſſe videtur. Neque vero de aliis criminibus ipſe non cognouit. r) Hoc anno quoque Plinium Secundum, minorem Leg. Pro Pr. in prouinciam Bithyniam Pontumque miſit, vt, ſuperiorum Pro Coſſ. prauis adminiſtrationibus exhauſtam adflictamque prouinciam, in meliori ſtatu reponeret. Annus inſecutus L. Licinium Suram II. et Marcellum Coſſ. et palatii aurei a Nerone exaedificati incendium conflagrationemque, s) et initium adparatusque ſecundi belli Dacici, a Traiano geſti, vidit. Etenim Decebalus frequenti ſuorum, ſe Traiano imperioque R. dedentium, deſertione commotus timore, cum, t) violato pacis foedere, infractoque, Imperatoris offenſam incurriſſet: petiit ille quidem iterum pacem; ſed cum a Traiano, armis depoſitis, ſe ſuaque omnia diuina et humana dedere iuſſus eſſet, maluit bellum experiri, et expeditionem ſumma vi moliri. Arma fabricare, copias cogere, caſtella munire, finitimas gentes ſollicitare, transfugas Rom. recipere: et omnia ad bellum acerrime gerendum parare. Quo facto a Senatu hoſtis iudicatus eſt, et Traianus pro ſua parte virili quoque omnia agere, quae ad hoſtem infeſtiſſimum debellandum neceſ-

q) *L. 10. §. 2. D. ad SC. Turpill.*
r) PLIN. *ep. VI, 22. VII, 16.*
s) EVSEB. *Chr.* OROS. *VII, 12.*
t) DIO. *Lib. LXVIII. p. 774.*

neceſſaria ſunt. In quibus, vt ego arbitror, eum quoque delectum indixit, de quo mentio fit in Digeſtis. [u])

Profectus poſtero anno *Iulio* [x]) *Candido II. et Aulo Iulio Quadrato II. Coſſ.* cum exercitu aduerſus Dacos Traianus, primo quidem ipſe inſidiis per transfugas petitus periculum vitae incurrit: ſed, detectis hiſce inſidiis, feliciter euaſit. Ac deinde magis vehementiusque premendum hoſtem arbitratus, ponte per Danubium facto, cuius excellentem mirabilemque ſtructuram non habent auctores, quomodo ſatis laudare poſſint, [y]) exercitum transduxit, et hoſtem perſecutus eſt: quem anno ſequente demum *Commodo ac Cereali Coſſ.* victum debellatumque, ſuaque arce ſpoliatum, ita ad incitas redegit, vt ſe vita priuaret ipſe. Quo facto, Dacia in formam prouinciae redacta, [z]) multis arcibus et coloniis munita, Romam, alterum e Dacia triumphum agens, reuerſus, [a]) Arabiam Petraeam [b]) a Legato ſuo A. Corn. Palma, Syriae praeſide, ſubiugatam eſſe cognouit: Quibus victoriis cum nominis eius gloria et terror remotiſſimas gentes peruaſiſſent,

u) *L. 4. D. de re mil.*
x) V. MASSON. *vit. Plin. ad h. a. p. 84.*
y) DIO. *Lib. LXVIII. p. 776.* PROCOP. *de aedif. IV, 6.* PLIN. *ep. VIII. 4.*
z) DIO. *Lib.* laud. *p. 777.*
a) Id huic anno attribuendum eſſe contra PAGIUM docet MASSON. *vit. Plin. p. 86.*
b) DIO. ibid. EVSEB. *Chron.*

ſiſſent, Indorum [c]) legatio ad ipſum venit, ac tum ſine dubio India in prouinciae P. R. formam redacta, quando numi: IND. P. R. et IND. PRO. P. R. inſcripti reperiuntur. [d]) Quo tempore, non improbabile eſt, S. Bartholomaeum religionis Chriſtianae praecepta in Indiam intuliſſe. [e]) Cumque ad facilitatem accipiendi nuncios ex prouinciis, ad commoditatem ducendi exercitus inprimis pertineat viarum munitio, Traianus hoc anno vtiliſſimum opus ſuſcepit, et viam per Pomptinas paludes, maximis ſumtibus muniuit: [f]) *Via Traiani* vocata fuit. [g]) Rem numariam, maximo hominum damno, variam, corruptamque conſtituere aggreſſus eſt. Etenim cum iactarentur numi ſic, vt nemo ſcire poſſet, quid haberet, pretiumque varium, nunc minus, nunc maius, erraret, leues numos, ἐξίτηλον νόμισμα, conflari iuſſit, [h]) et aboleri. Plurima opera magnifica et ſumtuoſa extruxit, [i]) iisque vrbem aeternam exornauit. Quibus factis egregiis inſtitutisque quamquam Principis Optimi nomen ac munus praeclare tuebatur: tamen, vt eſt hominum peruerſitas, efficere non potuit, vt

c) DIO. ibid. v. DODWELL. *Prael. Cambd. IV, 10. p. 234.*
d) V. DODWELL. *Prael. Cambd. l. c.*
e) DODWELL. ibid.
f) DIO. CASS. *Lib. LXVIII. p. 777.*
g) GRVTER. *Inſcr. p. CLXXXXIX, 1.*
h) DIO. *Lib. LXVIII. p. 777.*
i) DIO. ibid. *p. 778.*

vt mali improbique homines ſcelerata aduerſus ipſum conſilia non inirent. Namque hoc anno Craſſus aliique coniuratione conflata in ipſius caput conſpirarunt: Quorum iudicium cum ad Senatum reieciſſet, condemnati rei ſunt, et in inſulas relegati. [k])

Quo pacto cum pluribus egregiis inſtitutis remp. ornaſſet, et ſe imperiumque ſuum ab hoſtibus vindicaſſet inteſtinis: in externos hoſtes proficiſci decreuit, quo, quam ſibi deſponderat, aeternam virtutis bellicae fortitudinisque laudem, plane ſibi adſereret. Igitur Parthos ſempiternos Romanorum hoſtes adgredi ſtatuit. Ei conſilio, vt occaſionem, ita cauſam ſiue praetextum, dederat regis Parthorum Cosrhois ſuperbia: Qui cum Exedarum adpellaſſet Armeniae regem, quod a ſe ſuisque Impp. fieri Romani putabant oportere: et rebus a Traiano repetitis, ſuperbum Parthus reſponſum reddidiſſet; [l]) iuſtam belli indicendi cauſam Traiano videbatur dediſſe. Anno ſequente *Sura III. et C. Soſio Senecione II. Coſſ.* vero in Armeniam ingreſſus, cum reges finitimos aut ipſorum legatos cum donis ac muneribus, vt amicitiam officiumque teſtarentur, excepiſſet audiſſetque, Armeniam, deuicto occiſoque Parthamaſiri, [m]) cui Cosrhoes

k) DIO. ibid. *p. 778.*

l) DIO. ibid. IVLIAN. *Caeſ. p. 23. ed. Heuſing.* V. C.

m) DIO. *p. 779.* cf. DODWELL. *Cambd. Prael. IV, 10. p. 234.*

rhoes rex Parthorum regnum Armeniae poſtea dederat, ſubiugatam prouinciam Pop. Rom. fecit. Qua victoria percuſſi reges permulti, Iberorum, Sarmatarum, Colchidis ac Boſpori, Traianum conuenerunt, fidemque ſuam et officium promiſerunt. [n]) Eodem tempore ſine dubio regem Albanis, et Apſilis [o]) Iulianum quendam dedit. Inde in Meſopotamiam mouit, eamque totam occupatam ſub imperium P.R. ſubiunxit, [p]) et multos reges inprimis Edeſſenorum Abgarum in amicitiam ſuam recepit. Rex autem Parthorum Coſrhoes videtur tum eo redactus fuiſſe, vt pacem peteret [q]) ac Traianus propterea nomen *Parthici* ſuſcepiſſe. Quid porro actum geſtumque fuerit a Traiano in Oriente, et, quo tempore Romam reuerſus, quid vsque ad Conſulatum L. Vipſanii Meſſalae et M. Pedonis Virgiliani ſuſceperit, deperditis omnibus eius hiſtoriae ſcriptoribus, plane ignoramus. Iis enim Coſſ. alteram expeditionem aduerſus Parthos videtur ſuſcepiſſe eam ſine dubio ob cauſam, quod Parthi a fide ſua deſciuiſſent. Quos, cum, occupatis Seleucia et Cteſiphonte, [r]) regni ſede, captaque regis Coſrhois filia, et ſel-

la re-

n) DIO. ibid.

o) ARRIAN. *Peripl. Pont. Euxin. p. m. 123. edit. Blancard.*

p) DIO. ibid. *p. 781.*

q) DIO. p. 783.

r) DIO. p. 784.

la regia [s]) debellaſſet, a Senatu hoc decretum abſtulit, vt, quoties vellet, Romae triumphare poſſet. [t]) Deinde multis regionibus interque eas praecipue Babylonia, Aſſyriaque in ſuam ditionem redactis, Antiochiae hiemauit: vbi, grauiſſimo terrae motu exorto, qui multas vrbes concuſſit, ipſe vix aegre viuus, ſed ſaucius tamen, euaſit, tota propemodum vrbe collapſa. [u]) Anno inſequente *C. Aelio Lamia, et Aeliano Vetere Coſſ.* exacta hieme, prouincias nouas luſtrans, Oceano nauibus tentato, parum abfuit, quin periiſſet. Inde Meſenam ſubegit, tributumque regi ipſius Athambili impoſuit: et Arabiam rebellantem ad officium reduxit. Cum vero exiſtimaret, ſe prope finem laborum eſſe, ecce multae prouinciae rebellarunt: quas etiam multum vſus opera Luſii Quieti et Maximi [x]), ad obſequium redegit. Et ne Parthi quoque deſciſcerent, metuens, regem ipſis gentilem Parthamaspatum, impoſito diademate, dedit. [y]) Inde *Nigro et Aproniano Coſſ.* Arabibus deficientibus, Hatram oppidum ipſorum adgreſſus ſucceſſu deſtitutus eſt. Nam primo eruptione ex oppi-

s) SPARTIAN. *vit. Hadr. c. 13. p. 128. edit. Hack. Scriptt. Hiſt. Aug. T. I.*
t) DIO. ibid.
u) DIO l. c. EVAGR. *H. E. II, 12.*
x) DIO *p. 785.*
y) DIO ibid. Sunt etiam numi, quibus id confirmatur, hac epigraphe: REX PARTHIS DATVS. OCCO p. 213.

oppido facta ſauciatus, deinde etiam oppugnationem ſoluere coactus eſt. [z]) Paulloque poſt morbum nactus, Hadriano tum praeſide Syriae legionibus praepoſito, Romam reuerti coepit. Sed cum Selinuntem Ciliciae oppidum veniſſet, [a]) primo menſe Auguſti deceſſit. Qua morte omnes illi labores, omnes ſumtus iſti, in caſſum ceciderunt. Etenim ſucceſſor ipſius Hadrianus gloriae inuidens ipſius, omnes recens ſubactas prouincias, quaſi teneri non poſſent, ſponte deſeruit. [b]) Corpus Traiani Selinunte crematum, cineres Romam aduecti ſunt, et in *Columna Traiani*, eam ob cauſam eo viuo extructa, ſepulti. [c]) Deinde ab Hadriano inter Diuos relatus eſt.

z) DIO ibid.

a) DIO *p. 786.*

b) DIO quidem tradit, reuera teneri non potuiſſe eas prouincias. Sed eum ſecutum fuiſſe auctores in Traiani gloriam malignos, quique in gratiam Hadriani ſcripſerint, docet DODWELL. *Cambd. Prael. IV, 9. p. 232.*

c) DIO. *Lib. LXIX. p. 788.*

COMMENTARIO SEQVENTI
CONTINENTVR

I. *Leges, SCta, Edicta, Traiano auctore facta, quibus certus annus adſignari potuit, ſecundum ordinem temporis a p. 1. vsque ad p. 152.*

II. *Leges SCta, Edictaque incerti anni p. 152. vsque ad p. 164.*

III. *Reſcripta ac Decreta Traiani p. 164. vsque ad p. 220.*

IV. *Status Iuris Ciuilis ac Iurisprudentiae ſub Traiano p. 220. vsque ad finem.*

A. CORNELIO PALMA
C. SOSIO SENECIONE
COSS.

A. CHR. XCIX. A. V. DCCCLII.
TRAIANI I.

SENATUS CONSULTUM factum eſt *de ambitu* ad Legem Iuliam. PLIN. *ep. VI, 19.* Edictum Traiani eadem de re: it. vt candidati tertiam bonorum partem conferrent in ea, quae ſolo continerentur. Ad hunc autem ea annum referenda eſſe, ſic colligo. PLINIUS dicit: *Homullum ſententiae loco poſtulaſſe, vt Coſſ. deſiderium vniuerſorum notum principi facerent, peterentque, ſicut aliis vitiis, huic quoque, prouidentia ſua occurreret: occurrit,* inquit. *Nam ſumtus candidatorum, foedos illos et infames ambitus lege reſtrinxit.* Ex quibus ſane verbis adparet, Traianum Imp. Romae tum fuiſſe, quod tam celeriter potuit deſiderio Senatus ſatisfacere. Factum autem id eſſe debet, antequam cognomen

A *Optimi*

Optimi Principis, a Senatu decretum, haberet, propterea, quod ſi iam id tuliſſet; non foret dubium, quin Plinius ei hoc nomen tribuiſſet, quemadmodum V. 14. 7. inprimis cum, quid Homullus in Senatu dixerit, referat. Iam vero conſtat, auctore Dione, id nomen ei decretum eſſe propter benignitatem animi morumque humanitatem, atque adeo poſtquam Leges de maieſtate, fiſco, aerario, delatoribusque cet. tuliſſet. Quas non eſt mihi dubium, quin in conſulatu primo poſt imperium ſuſceptum; promulgaverit, quoniam Leges ab Impp. inprimis in Conſulatu ferri ſancirique conſueuiſſe conſtat: id, quod docet PAGI *Diſſ. Hypat.* Illas autem Leges latas eſſe poſt primum in Vrbem reditum, atque adeo ad nullum alium Conſulatum, quam ad eius tertium conferri poſſe, ex eo patet, quod earum PLINIUS mentionem infert in Panegyrico, quem dixit exeunte anno illo, Cos. ſuffectum gerens, quo Traianus III. Cos. fuerat.

Cautum fuit SCto: CANDIDATI NE CONVIVENTUR, NE MITTANT MUNERA, NE PECUNIAS DEPONANT. Iam libera republica valde increbuerat haec ambitus ſpecies, vt tribus a candidatis conuiuiis exciperentur: v. CIC. *pro Muraen.* c. 32. vbi SCtum factum memoratur, in quo, *ſi prandia vulgo tributim eſſent data*, aduerſus Legem factum cenſetur: quod propterea multis de ambitu Legibus coërcitum fuit. Quid igitur mirum, ſi, comitiis in curiam translatis, magiſtratuum candidati Senatores, quorum ſuffragia captare vellent, conuiuiis inui-

inuitauerunt, cum commodius nunc, Senatu comitia habente, fieri poſſet, quam tunc, cum vniverſi populi ſuffragiis honos niteretur? Nam quamquam creari e Lege Regia, GRUT. *Inſcr.* p. CCXLIII. neceſſe erat, quos princeps ſuffragatione ſua commendaſſet, tamen, quoniam Imp. non ſemper omnia loca implere ſua commendatione ſolebat, locus adhuc erat petitoribus aliis, vt, cum ipſorum ſors in ſolius Senatus arbitrio eſſet, omnibus artibus gratiam captare ſuffragia dicentium poſſent. Ex quo loco noſtro ſane ſua ſponte refutatur Vir Cel. HOFFMANNUS *Hiſt. Iur. P. I.* 147. exiſtimans ratione Comitiorum mutata omnem ambitum ceſſaſſe, et loca MODESTINI *in L. vn. D. ad L. Iul. de ambitu* et PAVLLI *Sent. Rec. V. 30.* non tam ad eos pertinere, qui in vrbe quam, qui in Muncipiis magiſtratus aut ſacerdotium petierint. Quamquam enim MODESTINVS diſertis verbis dicit, hanc Legem in Vrbe ceſſare, tamen quod adiicit *hodie*, id eum ſignificat de ſuo tempore loqui, quo omnis Magiſtratuum creatio iam ad principis, non ad Senatus, curam pertinebat; quod etiam in locum Vlpiani conuenit.

NE MUNERA MITTANT. Fieri enim ſolebat, vt, qui magiſtratus peterent, nec meritorum dignitate niterentur, pecunias ac dona mitterent, mercedemque ſuffragii darent iis, quos ſcirent in ſuffragatione magnam auctoritatem habere. Quod intelligitur ex CIC. *Verr. I.* et *pro Muraen. 32.* quod in Legem ambitus incidebat. Atque id ſimul cum comitiis e campo

in curiam migrauiſſe, inde intelligitur, quod hic SCto coërceri idem neceſſarium viſum fuit.

NE PECUNIAS DEPONANT. Deponebatur autem pecunia, tum numeranda demum, ſi ſuffragia candidati tuliſſent, apud Sequeſtres CIC. *Act. I. Verr. c. 12.* v. ASCON. *ibid.* eam ob cauſam, quod ſciebant, accepta pecunia, homines tamen iudicium ſuum in ſuffragando ſequi. *Ex quibus*, vt ait PLINIVS, *duo prima tam aperte, quam immodice fiebant: hoc tertium, quamquam occultaretur, tamen pro comperto habebatur.* Sed quoniam SCta non multum autoritatis habebant, niſi iis vis roburque additum fuiſſet Edicto Imperatoris, quo populo promulgaretur, quemadmodum oſtendit BVRMANN. *de Vectig. P. R.* et ex PLIN. *ep. V, 19.* intelligitur quam clarisſime; Titius Homullus ille, qui cum Plinio cauſam Vatini defendit, PLIN. *ep. IV. 9. a. Chr. 101.* e rationibus MASSONI *in vita Plinii p. 64.* is igitur Homullus, forte Cos. deſignatus, (qui de more eam ob cauſam primus videtur ſententiam rogatus eſſe,) *ſententiae loco poſtulauit, vt conſules deſiderium vniuerſorum notum principi facerent, peterentque, vt ſicut aliis vitiis, huic quoque, prouidentia ſua occurreret.* In quo Imperator Traianus, deſiderio Senatus ſatisfecit, et *ſumtus candidatorum infames illos et foedos ambitus lege reſtrinxit atque coërcuit.* Neque enim dubium ulla ratione mihi eſt quin id Edicto princeps propoſuerit, quoniam aliter fieri palam non poterat. Intelligitur autem e verbis Plinii ſupra adſcriptis, eum Legem ambitus ſine dubio Iuliam reuocaſſe

in

in vſum atque retuliſſe. De qua V. KETTWIGIUS *de ambitu et illuſtriſſ. Comitis* SARMATORII *Diſſ. ad L. Iuliam de ambitu Lipſ. a. 1742.* Quae antea obſeruata propterea non fuiſſe videtur, quod Senatores non exiſtimarent, eam ad ſe pertinere.

Ceterum Imperator Traianus Edicto ſuo candidatos magiſtratuum *patrimonii tertiam partem conferre iuſſit in ea, quae ſolo continerentur.* PLIN. *ep. laud.* In republica libera id non fuerat neceſſe ſanciri, propterea quod Senatores qui eſſent, aut Romae aut certe in Italia nati, cenſum Senatorium ſemper, niſi in nummis haberent, in praediis Italicis occupatum tenebant. Poſtea vero Iulius Caeſar Gallos et in triumphum et in curiam duxit, SVETON. *Caeſ. c.* 80. deinde frequentius adhuc ſub Impp. ſequentibus etiam Senatores e provinciis legebantur creabanturue a principe, ac maxima eorum pars aut e Cis-Alpina, Narbonenſique Gallia aut ex Hiſpaniis oriundi TAC. *XI. 23.* inprimis autem Claudii oratione, ſecutoque eam SCto primum Aeduis Comataeque Galliae ius Senatorum in Vrbe tributum eſt TAC. *l. c.* cf. Oratio Claudii, quam primus e tabula aenea Lugduni exſcriptam Lipſius protulit ad Taciti loc. laud. pleniorem autem exhibet GRUTER. *Inſcript.* et SPONIUS *dans les Recherches des antiq. et curioſités de la ville de Lyon* c. VIII. p. 170. ſqq. Sub Caeſaribus igitur provinciales in Curiam quaſi agmine facto irruperant, et in prouinciis habebant patrimonium ſuum. Quod Traianus, quemadmodum addit PLINIVS, *deforme*

m: arbitratus, vt erat, honorem petituros vrbem Italiamque non pro patria, ſed pro hoſpitio ac ſtabulo quaſi peregrinantes habere, eos, qui peterent honores, iusſit magnam, TERTIAM PARTEM PATRIMONII CONFERRE IN EA, QUAE SOLO CONTINERENTUR. Satis intelligitur ex ratione, a Traiano reddita, SOLUM, non ſignificare, quodcunque ſolum, vel fundum, aut imobilia, vti in Pandectis, *quae ſolo continentur*, neque *ſolum iuris Italici: vti* κατ' ἐξοχὴν apud antiquos Rom. *Solum* uſurpatum fuit, atque XII tabulis *fundus*, in illo capite *biennium fundi auctoritas eſto*, de quo CIC. *Top.* 4. In ſolo Italici iuris dominium ex iure Quiritium habebatur; in prouincialibus vero praediis dominium non erat: *in bonis eſſe* dicebantur. Itaque quoniam paucae in prouinciis ciuitates erant iuris Italici, atque adeo praedia in iis ſita eodem iure cenſebantur, tamen pleraque ea Lege non vtebantur: eam ob cauſam turpe eſſe atque indignum Senatore, habitum a Traiano poterat videri, ſuum cenſum eiusmodi in praediis habere, in quibus dominium non erat. Veruntamen *ſolum* eam vim habet in edicto Traiani, vt ſolum Italicum, ſeu in Italia ipſa ſitum, notet. Sed bonum ſe, non acerbum ea in re praebuit Traianus, quod candidatos non omne patrimonium ſuum, ſed TERTIAM TANTVM PARTEM eius in praediis Italicis iusſit collocari. Quantum enim detrimenti ſenſiſſent, ſi, cum impenſo pretio fundos Italicos comparari oporteret, quod, vt fit, neceſſitas emendi multis impoſita, rebus adderet pre-

pretium, et quod cupiditas vendendi cognita male vendendi neceſſitatem adferret, praedia prouincialia proiicere deberent?

Ceterum nec videatur a veritate plane abhorrere; ſi quis ſtatuat, praeter illam rationem, quam edicto ſuo praetexuit Traianus, aliam quoque arcanam ac ciuilem interceſſiſſe. Quid enim? Quod in aliis quoque ciuitatibus ſaepe euenire ſcimus, id nonne et tunc temporis factum eſſe potuit, vt diuites in arca pecuniam concludere, tocullionesve, quam praediorum poſſeſſores eſſe mallent, et, quoniam e praediis non admodum magna res fieri poſſet, pecunia autem foenori locata vberiores domino fructus referret, negocia, mutuum, foenusue exercere, quam in fundis habere, ſatius ducerent: inprimis cum ſuperiorum principum inſidioſa auaritia neceſſarium quodammodo id conſilium feciſſet. Facile autem intelligitur, ea re fieri neceſſario, vt fundis ac praediis neglectis, ad vilitatemque redactis, qui praedia poſſideant, eorum facultates attenuentur. Cum vero boni principis munus ſit, vniuerſorum ſaluti ciuium et otio proſpicere, ac omnes, quantum fieri poſſit, onere leuare; videri poteſt Traianus edicto ſuo remedium ei rei quaeſiuiſſe, cum candidatos magiſtratuum, id eſt opulentisſimos, cenſum quippe Senatorium habentes, tertiam patrimonii partem in praedia conferre iusſit. Ita enim fiebat, vt fundis pretium accederet, poſſeſſorum opes creſcerent; et opulentiae quaedam quaſi aequabilitas inter vniuerſos conſtaret.

LEX TABELLARIA *SCto*, de quo PLIN.

ep. III, 20. eodem anno in Senatum, cum comitia haberentur, introducta mihi, ſine dubitatione, videtur. Neque enim vereor, vt rationes meas poſſim eruditis probare; qui cogitent, ambitum edicto Traiani, de quo iam paullo ante diſputauimus, coërcitum fuiſſe, Legemque de ambitu reductam. Cum igitur Senatus vidiſſet, in comitiis inprimis ambitum foveri manifeſtis illis apertisque ſuffragiis, neque adeo dignitatis magis, quam gratiae et fauoris, in creandis magiſtratibus, rationem haberi, ambitum autem omnem circumſcriptum voluiſſet Imperator, cenſuerunt, e republica eſſe, ſi Lege tabellaria inducta, comitia ſua in libertatem adſererent, modeſtiamque et dignitatem reducerent. Ad Traiani autem principatum id referendum, mihi videtur certiſſimum ex elegantiſſima Imperatoris deſignatione, qua clauſulam epiſtolae ſuae Plinius exornauit. Conſtituto igitur tempore, ipſum illud quale fuerit, breuiter videbimus. Leges tabellariae quatuor ſunt v. CIC. *de Leg. III*, 15. ſq. GABINIA prima fuit a Q. Glabrione trib. pl. a. v. DCXIV. lata, *vt magiſtratibus creandis, non voce ciues, ſed tabellis vterentur*. CASSIA, auctore L. Caſſio Longino trib. pl. a. v. DCXVI. ſancita, *vt tabellae in iudicio populi, praeterquam in perduellionis iudicio, adhiberentur*. *Judicium* autem *populi* eſt iudicium publicum, quod, praeſidente Quaeſitore, vel iudice quaeſtionis a ſelectis iudicibus exercetur: non iudicium, quod fit in comitiis populi, quemadmodum multi docti homines, decepti errore putauerunt, vid. hoc egregie docentem IO. AUG. ERNESTI vir. Cel. *in Clave Cic. Ind.* Cice-

Leg. ſub *Tabellariae* n. 2. qui vti ceteras apud Ciceronem Leges, ita et hanc eruditionis ſuae ſplendiſſimo lumine colluſtrauit. Cui ego Viro, cum plurima et maxima debeam, quam libenter, pro ſumma eius in me humanitate, debeam, vix poſſum exiſtimare. COELIA a. v. DCXLVI. rogata tabellam etiam ad *iudicium perduellionis*, vnum Lege Caſſia exceptum protulit. Denique PAPIRIA a. v. DCCXXII. rogante C. Papirio Carbone trib. pl. ſcita, cautum fuit, vt in Legibus ferendis populus tabella ſuffragium ferret. Iam, quaerenti quaenam harum Legum in Senatum fuerit hoc decreto, inducta, quoniam Plinius *candidatorum* tantum, *competitorum, magiſtratuumque* mentionem facit, Legem GABINIAM tantum receptam fuiſſe, facile erit ad iudicandum. Ex quo fit, vt in iudiciis exercendis et Legibus ferendis Senatus ſententiam ſuffragiumque adhuc diceret, non tabella ferret. Ceterum, auctore Plinio, beneficio tabellarum, ambitus tunc et fauor excluſus, honeſtas ſola, et dignitas admiſſa, et creati ſunt *ii magiſtratus, qui maxime fieri debuerunt. Nam, vt in recuperatoriis iudiciis*, inquit, *ſic nos in his comitiis, quaſi repente adprehenſi ſinceri iudices fuimus.* Verebatur tamen, ne procedente tempore ex ipſo remedio vitia naſcerentur, neue tacitis ſuffragiis impudentia irreperet. In quo quidem ipſum diuinum fuiſſe, nec cogitatione ſua deceptum, intelligimus ex *ep.* IV, 25.

EDICTI Traiani de *ſtateris adulterinis* meminit Vlpianus in L. 6. §. 1. D. *de extraord. crim.* quod, quo anno propoſitum fuerit, non profecto,

niſi coniectura probabili adſequi potuimus. Maxime enim veriſimile eſt, ſtatim ab initio imperii hoc ab eo promulgatum fuiſſe, cum, inſigni caritate annonae, rem annonariam conſtituit, ad quam etiam carnes aliaeque merces, quae adpenduntur, pertinent, de quo v. PLIN. *Paneg.* c. 29. ſqq. Quo tempore etiam *collegium* PISTORVM inſtituit, AVR. VICTOR. p. 114. ed. Schotti. Ita autem Vlpianus ait: *Onerant annonam etiam ſtaterae adulterinae, de quibus D. Traianus edictum propoſuit, quo edicto poenam Legis Corneliae in eos ſtatuit, perinde ac ſi Lege teſtamentaria, quod teſtamentum falſum ſcripſiſſet, recitaſſet, damnatus eſſet.*

Deſumtum hoc fragmentum eſt ex Vlpiani Libro VIII. de officio Pro-Conſ. quo libro JCtus, tractationem de criminibus a Pro-Conſule perſequendis, Libro VII. inchoatam, continuauit, vti ex reliquiis huius libri in Pandecte perſpicitur. Namque expoſuit de quaeſtionibus habendis L. 1. D. *de quaeſt.* de atrocitate dominorum in ſeruos L. 2. D. *de his qui ſui vel. al. iur.* de iis, qui in incendiis vel naufragiis rapuerint L. 12. D. *de incend. naufr.* de crimine abigeatus L. 1. D. *d. abig.*

Cumque non minus frequens in prouinciis, quam Romae, eſſet crimen Dardanariorum, inutile ac perniciofum Reip. non alienum putauit, de hoc quoque in eodem libro explicare: ad quod L. 1. huius *princip.* ſpectat. Sunt autem *Dardanarii*, qui cum alias merces, tum inprimis annonam attentare ſolent, inque iis onerandis vexandisque varias fraudes et calliditates committere: quo lucrum

lucrum ſibi, mercibus caritatem, aliisque detrimentum adferant. v. CVIAC. *Obſ.* X. 19. In variis autem illis fraudibus dardanariorum, quibus vexare annonam conſueuerant, non minimum genus erat hoc, quod falſis etiam ſtateris vſi emtores deciperent. Itaque hac dardanariorum fraude admonitus Vlpianus commemorat edictum Traiani de falſis ſtateris, quo poenam Legis Corneliae omnibus iis irrogauit, qui falſas ſtateras adhibuiſſent. *Lex Cornelia* de falſis, ſ. teſtamentaria duo capita tantum habuit de falſo, alterum de falſis teſtamentis, de nummis adulterinis alterum: qua propter nunc *teſtamentaria*, nunc *nummaria* vocatur: ſed nulla ratione habita, *dolo malo* quis commiſiſſet, an ſine fraude ſua, SVET. *Aug.* 33. et auctoritate prudentum demum additum: *qui ſciens dolo malo ſignaſſet*, docet CASAVBONVS ad Suet. l. c. Itaque cetera falſi genera comprehenſa non fuerunt: quae deinde pedetentim ab Impp. ſiue per interpretationem ICtorum, ſiue per SCta ad Legem Corneliam de falſis reuocata ſunt. v. BYNKERSHOEK. Obſ. III, 18. ſqq. Sic Liboniano Lex Cornelia iis irrogata eſt, *qui quid aliud quam teſtementum falſum ſciens ſignarit, ſignariue curarit, falſas teſtationes faciendas, teſtamentaque falſa inuicem dicenda, aut non dicenda, ſignanda dolo malo curarit.* Pariat. Leg. Moſ. et Rom. VIII, 7. L. 9. §. 3. D. *ad L. Corn. de falſ.* cf. SHVLTING. *Iurisprud. Anteiuſt.* p. 763. Paullo poſt decretum eſt, *vt ſi qui coierint ad occiſionem innocentum, Lege Cornelia de falſis tenerentur*, Pariat. Leg. Moſ. et Rom. *ibid.* cf. L.

1. §. 1.

1. §. 1. D. *ad L. Corn. de falſ.* In quo quidem *occiſio* nihil aliud eſt, niſi condemnatio, aut periculum. Sic enim veteres locuti ſunt, vt *iugulare*, *necare*, *occidere* de iis dicerent, quos in iudiciis, inprimis capitis, condemnaſſent. Exempla apud Ciceronem occurrunt frequenter. Sic Cato interrogatus, quid eſſe foenerari ſub vſuris cenſeret? reſpondit, *quid aliud, quam hominem occidere?* v. GRONOV. *Obſ.* IV, 24.

Neque multum temporis interceſſit, cum Senatus cenſuit, *vt ex Lege Cornelia de falſis condemnarentur, qui ob ſtruendam aduocationem teſtimoniaue pecuniam acceperint, pactiue fuerint, ſocietatem coierint, aut aliquam delationem interpoſuerint.* Pariat. Leg. Moſ. & Rom. *ibid.* item biennio poſt, *qui ob venundandum, vel denunciandum, vel non denunciandum remittendumue teſtimonium pecuniam acceperint*, in Legis Corneliae poenas incidere iuſſi. ibid. de quibus SCtis omnibus v. BYNKERSHOEK. *Obſ.* III, 18. 19. 20. Sub Nerone quoque aduerſus falſarios SCtum factum refert SVETON. *Neron.* 17. Itaque cum iis SCtis falſa in ſubiiciendis, & teſtamenti, & ceteris contractuum tabulis, in perorandis cauſis, accuſationibus, teſtimoniis dicendis, delationibusque coërcitaſſent: reliquum eſſe videbatur hoc genus falſi, ſi quis ſtateras falſas adhibuiſſet. Falſarum menſurarum iam olim Romae quandam fuiſſe poenam, mihi quidem probabile eſt, quod Aediles plebis, ſi quam in foro promercalium inueniſſent menſuram iniuſtam, eam frangere conſueſſent, L. 13. §. 8. D. *locat. cond.* IVVENAL. *Sat.* X, 100. ſq. Ac propter-

ea

menſurarum modus in Capitolio poſitus erat.
: S T. VOC. *Pondera publ.* V. WESTENBERG. *Comm.*
l Div. Marci Conſtitut. Diſſ. VI. p. 75. ſeqq.
:d videtur tamen poena illa fuiſſe pecuniaria ſ.
.ulta, quippe cum ad Aediles, ciuilem tantum
riuatamque notionem iuriſque dictionem haben-
:s, pertineret. Sed quoniam ingraueſcentibus
elictis increbreſcentibusque, poena exaſperanda
ſt, recte ſane iudicium de falſis menſuris, quod
riuatum erat antea, publicum fecit Traianus
mp. vtque de iis e Lege Cornelia de falſis quae-
ereturs, conſtituit. In primis enim ſumma reſp.
erſatur in eo, vt annona fraudibus ac vexationi-
ous hominum improborum liberetur, ne pretium
eius incendatur, caritasque inde exiſtat. Quae
prouidentia, quo tempore Traianus hoc edictum
propoſuit, eo profecto magis neceſſaria fuit,
quod, natura in annona praebenda quibusdam in
prouinciis, in primis in Aegypto, benignita-
tem reſtrinxiſſet ſuam. Igitur Traianus Im-
perator Optimus, praecipuam ſuam curam eſſe
ratus, vt affluentiam copiamque annonae, quam
inſtar perpetui congiarii eſſe putaret, ciuibus ſub-
iectisque confirmaret ſuis. Quod quo melius
fieri faciliusque poſſet, omnes eae fraudes, qui-
bus annona vexari incendique ſoleret, amputan-
dae, circumſcribendaeque videbantur. Quid
vero? in publica raritate quid peſtilentius eſſe
poteſt, quam falſae ſtaterae ac menſurae, quibus
cupida lucri improbitas annonam premit? Has
igitur, inter alias prouidentiae ſuae occupationes,
coërcere hoc edicto contendit: poenaque Legis
Corne-

Corneliae de falſis ſanxit, *perinde ac ſi lege teſtamentaria, quod teſtamentum falſum ſcripſiſſet, ſignaſſet, recitaſſet, damnatus eſſet.* Legis Corneliae teſtamentariae ſiue ſententiam, ſiue forte quodammodo formulam ſeruauit PAVLLVS *Rec. Sent.* IV, 21. 2. V. 25. Ex quo adparet praeter reliqua haec quoque in ea fuiſſe: *qui teſtamentum falſum ſcripſerit, ſignauerit, recitauerit:* quae verba hic in Edicto Traiani repetita videntur fuiſſe. Poena autem Legis Corneliae, teſtamentariae fuit, vt damnato *aqua et igni interdiceretur.* vid. SHVLTING. V. Cel. *ad Paulli Rec. Sent. l. c.* in *Iuriſprudent. Anteiuſt.* p. 513. Forte Iulius Caeſar Dictator poenam Corneliae teſtamentariae auxit, et damnatos *dimidia parte bonorum* multauit. Etenim SVETON. *Caeſ.* c. 42. de eo, *poenas facinorum auxit,* inquit, *et cum locupletes eo facilius ſcelere ſe obligarent, quod integris patrimoniis exulabant, parricidas, vt Cicero ſcribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multauit.* Ratio enim, quam auctae poenae facinorum omnium adfert Suetonius, etiam in teſtamenti falſi conuictos conuenit. Sub Impp. certe poena Legis Corneliae mutata, et in *deportationem* transfuſa eſt. Quare etiam ICti noſtri huius tantum mentionem faciunt. v. SHVLTING. l. c. Ita grauiter ſancita annonae ratione, propoſitisque poenis, ſi quis, quo fraus annonae fieret, et caritas adferretur, quid commiſiſſet.

TRA-

TRAIANO AUG. III.
ET
FRONTONE III.
COSS.

A. CHR. C. A. V. C. DCCCLIII.

TRAIANI II.

Supra diximus, hunc morem ſecutos fuiſſe Imperatores Rom. vt, cumprimum imperium ſuscepiſſent, aut ſtatim eo anno Conſulatum aliquem ſuffectum, priuato alicui deſtinatum, arriperent, aut, quod plerumque factum eſt, Conſulatum ſequentis anni ordinarium e Kal. Januariis ſumerent. Quod quamquam Traianus, imperium, mortuo Nerua, Auguſteum adeptus anno Chr. LXXXXIX. facere detrectaſſet, propterea, quod in Germania tunc verſaretur, et abſens Conſulatum gerere dubitaret: tamen deinde reuerſus precibus Senatus locum reliquit, ut Conſulatum ordinarium a. Chr. C. ſuſciperet et faſtos referaret. Cum vero inprimis hoc primo poſt acceptum imperium Conſulatu Impp. fere Legibus remp. atque inſtitutis ornare conſueſſent, vti patet e multis veterum locis; hoc anno Imperator Traianus inprimis conſtituendae Legibus reip. omnem curam prouidentiamque adhibuit ſuam. Ac primo quidem hanc obſervatam conſuetudinem fuiſſe ab Impp. vt ingreſſi principatum, priuilegia ac beneficia vetera ſuperiorum Impp. confirmarent, noua largirentur, debita tributorum remitterent, & ſi qua ſunt id genus alia proponerent, neminem

eſſe

eſſe puto, quin ſciat. Ita apud Modeſtinum L. 6. § 8. *de excuſat.* Commodus Imp. de patre ſuo M. Aurelio Antonino Aug. ait: *Diuus pater meus, principatum ingreſſus, edicto conceſſa priuilegia, atque immunitates firmauit.*

Itaque quemadmodum Titus Imp. præterita beneficia omnia vno confirmauit edicto, nec a ſe peti paſſus eſt: SVETON. c. 7. quod diuus Nerva Aug. quoque fecit edicto illo elegantiſſimo, quod nobis ſeruatum eſt a PLINIO *ep.* X, 66. n. 7. ita quoque Traianus, mihi non dubium eſt, quin, quod in ceteris bonis inſtitutis fecit, idem hic quoque fecerit, ut eos auctores ſequeretur. Certe in epiſtola 68. apud PLINIVM Traianus ea privilegia, & immunitates ſuperiorum principum tacite confirmat. Sed non ſatis habuit, beneficia omnia, liberalitates & immunitates confirmaſſe: noua conceſſit beneficia, & liberalitatis exempla noua praebuit. Quid autem liberalius eſſe, quid popularius poteſt, quam vetera tributorum debita condonaſſe, & exigi vetuiſſe, quod deberi non ſuo ſaeculo coepiſſet? v. WIELING. *Lect. Jur. Civ.* II, 32. p. 266. ſq. Auctor eius rei nobis eſt AVSONIVS in *Grat. act. Conſul.* p. 730. edit. Toll. Hic Gratianum Auguſtum adloquens: *Neque vero vnum aliquod bonum*, inquit, *vno die praeſtas. Sed INDVLGENTIAS SAECVLARES* (*) *per ſingula horarum momenta multiplicas. Vel illud vnum cuiusmodi eſt, de CONDONATIS RESIDVIS TRIBVTORVM? quod tu quam cumu-*

(*) h. e. perpetuas. v. Nouell. CLXIII. præf. & SCALIG. ad. h. l. Auſonii.

cumulata bonitate feciſti! Quis umquam Imperatorum hoc prouinciis ſuis aut vberiore indulgentia dedit, aut certiore ſecuritate proſpexit, aut prudentia conſultiore muniuit? Fecerat & TRAIANVS olim: ſed partibus retentis non habebat tantam oblectationem conceſſi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſervati; & Antoninus indulſerat: ſed imperii, non beneficii, ſucceſſor inuidit, qui ex documentis tabulisque populi condonata repetiuit. Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere iuſſiſti: Videre in ſuis quaeque foris omnes ciuitates conflagrationem ſalubris incendii. Ardebant ſtirpes fraudum veterum: ardebant ſeminaria futurarum. Iam ſe cum puluere fauilla miſcuerat, iam nubibus fumus inuoluerat: & adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum. & ſeſtertiorum notas cum iuuantia de ratione (*) *cernebant: quod meminerant legi & poſſe veteres. Quid te, Imperator Auguſte, indulgentius? quid poteſt eſſe conſultius? Quae bona praeſtas, efficis, ne caduca ſint: quae mala adimis, proſpicis, ne poſſint eſſe recidiua. Haec prouincialibus indulgentiae bona.* Adſcripſi totum ea de re locum, quo clarius inde pateat, minime neceſſarium, immo vero inconſultum eſſe, eum locum corrigere, & pro *Traiano* ſubſtituere *Hadrianum*, aut dicere, errore deceptum fuiſſe Auſonium, vti SPANHEMIVS *de Vſ. ac Praeſtant. Numiſmatum* fecit, adprobante BVRMANNO *de Vectigal. P. R. c. IX. p. 181.* Immo vero neque deceptum ipſum Auſonium, neque librarios falſos;

(*) GRONOV. *De Pec. Vet. IV,* 3. legit: *cum ingenti trepidatione.*

ſos eſſe arbitror. Quid enim ? Nonne Plinius Traianum reliqua tributorum debita condonaſſe confirmat ? Ita *Paneg.* 40, 4. *Idem effeciſti*, inquit, *ne malos principes habuiſſemus: quo ingenio, ſi natura pateretur, quam libenter tot ſpoliatis, tot trucidatis ſanguinem & bona refudiſſes ? Vetuiſti exigi, quod deberi non tuo ſaeculo coeperat. Alius vt contumacibus iraſceretur, tarditatemque ſoluendi dupli vel quadrupli irrogatione multaret: tu nihil referre iniquitatis exiſtimas, exigas, quod deberi non oportuerit, an conſtituas, vt debeatur.* Jam eius rei fidem quoque facit AVCTOR CHRONICI ALEXANDRINI ad *a. Chr.* 106. apud PAGIVM *Diſſ. Hypat. P. II. p. m.* 207. *His Conſulibus*, dicens, *graui bello Romanis incumbente a Perſis, Gothis & aliis gentibus Traianus expeditione in hoſtes ſuſcepta, ſuis gratiam tributorum, quoad reuerteretur, fecit.* Qui quod hanc tributorum gratiam ad a. 106. refert, in eo aut errore lapſus eſt, cum haec indulgentia Traiani ad initium principatus ſiue potius ad a. Chr. 100. pertineat: Aut, ſi erroris abſoluere velimus AVCTOREM *Chron. Alexandrini*, dicendum videtur, Traianum hanc liberalitatem imperii ſui initio praeſtitam, tunc renouaſſe, cum eo tempore Decennalia Imp. Pro-Conſularis celebrarentur: v. PAGI *l. c.* quibus in ſolemnitatibus eadem ab Impp. conſtitui ſolerent, quae in primordiis imperii ſanciri conſueuerant. v. PAGI *Diſſ. Hypat. P. I. c. II. p.* 100. Id certe efficitur auctoritate Alexandrinorum faſtorum, Traianum populis ſuis hanc liberalitatem nauaſſe. Cum igitur his teſtimoniis ſtabiliatur Auſonii oratio,

tio, ecquis adhuc de ejus fide poterit addubitare? ecquis adhuc Hadrianum ab eo commemoratum fuiſſe arbitrabitur? Sed eſto: Hadrianum beneficium idem conceſſiſſe: tamen ab Auſonio magis Traiani rationem haberi oportuiſſe, contendo. Cum Auſonius enim, in tota illa gratiarum actione propter conſulatum acceptum, Imp. Gratiano habenda, Plinii Panegyricum Traiano eandem ob cauſam dictum, tamquam exemplum propoſuiſſe ſibi videatur: ſumma ipſi neceſſitas impoſita erat, vt, cum ſummas, propter condonationem reliquorum, aliaque liberalitatis genera, laudes, magnificentiſſima præconia, in Traianum Plinius congeſſiſſet, oſtenderet, a Gratiano, eiusdem beneficii auctore, Traianum longe fuiſſe multumque ſuperatum. Quid vero? Traianus cum optimorum principum eius generis exempla in illuſtri loco poſita, animaduertiſſet; qui omni ratione animi ſummam benignitatem, facilitatemque ſuis teſtatam faceret, id vnum prætermiſiſſe, in eoque inferior aliis fuiſſe conſebitur? Fecerat id Auguſtus SVET. *c. 32.* qui *tabulas veterum aerarii debitorum, vel praecipuam calumniandi materiam, excuſſit.* Fecit poſt Traianum & Hadrianus SPARTIAN. *c.* 7. qui *ſeſtertium novies millies* (h. e. XXII. & dimidiatum milliones, e GRONOV. *de Pec. Vet. IV, 3.* rationibus,) debitum fiſco remiſit, ſyngraphis in foro D. Traiani, quo omnium ſecuritas conſtaret, incenſis. Secutus eſt D. Marcus, CAPITOLIN. *c. 11.* DIO. CASS. Julianus *L. 3. C. Th. de indulgent. Debit.* aliique benigni Impp. v. J. F. GRONOV. *de Pec.*

 Vet.

Vet. IV, 3. cf. CASAVB. *ad Sueton. Aug. c. 32.* & PAGI *Diſſ. Hypat. P. II. c. II. p. m. 100.* Nimis longum foret, omnia munificentiae Optimi Principis ſpecimina enarrare velle, & me oratio prius, quam materia deficeret. Remiſit *collationes, donatiua* militibus de more elargitus eſt: PLIN. *Paneg. c. 41. congiarium* plebi erogauit, *ibid. c. 25.* His omnibus etiam ſuperiores inclaruerant. Sed propria haec ac prima laus Traiani, quod *alimenta pueris ingenuis* egentibus ad quinque millia contulit. PLIN. Paneg. c. 28. Sciebat enim ſapientiſſimus princeps in ſubole inprimis Romani nominis ſpem atque fulcrum contineri: et cum in pauperibus inprimis inopiam intercedere nouiſſet, quo minus liberos ſuſcipere vellent: hoc boni principis ſummum munus eſſe ratus, vt ſubolem larga manu foueat, augeat, amplectatur: in eo non exiſtimauit ſe & animo ſuo & officio deeſſe poſſe. Quod niſi faciat, inquit Plinius, *occaſum reip. acceleret, fruſtraque proceres, plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutaturumque inſtabili pondere, tueatur.* Locupletes enim ad tollendos liberos ingentia proemia, & pares poenae cohortabantur; pauperibus educandis vna ratio erat, bonus princeps. Intelligebat, ſi his alimenta praeſtitiſſet, milites ſe libentes habiturum, qui creſcerent ſibi, alimentisque ſuis ad ſtipendia peruenirent, tantumque omnes ſibi vni, quantum parentibus ſuis quisque deberent.

Frumentum, cum in libera rep. in egenos ciues erogatum eſſet ſiue gratis, ſiue modico pretio, ab Impp. idem munus gratis praebitum eſt,

exem-

exemplo Julii Caeſaris Dictatoris SVETON. *Caeſ. c. 38.* qui CL. millibus ciuium conceſſerat. Auguſtus SVET. *c. 41.* ducentis hominum millibus annonam elargitus eſt, nec pueros ab vndecimo aetatis anno carere beneficio ſuo voluerat. Neque dubium eſt, quin ſequentes Caeſares eadem liberalitate vſi fuerint. v. LIPS. *Elect. I, 8.* Pleniſſimam autem Traianus Imp. iſtam munificentiam erga ciues exercuit, qui etiam puerorum ingenuorum quinque millibus annonam, & alimenta donarit. PLIN. *Paneg. c. 25.* SPARTIAN. Hadrian. *c. 7.* Et cum Auguſtus ab vndecimo anno pueris conceſſiſſet, Traianus a tenera iam aetate iſtud beneficium tribuit. Nouem enim annorum ſpatio illud definitum ab eo fuiſſe, auctor eſt IVL. CAPITOLIN. *vit. Pertin. c. 9.* vt adeo probabile ſit, a quinto anno uſque ad pubertatis & virilis togae annos, quo tempore ſtipendia facere poſſent, prorogatum eſſe. Ac primo tantum Vrbem Romam huius beneficii participem eſſe iuſſit: Poſtea vero id cum tota Italia communicauit. DIO. CASS. *Lib. LXVIII. p. 771.* Teſtes eius rei ſunt etiam numi apud SCHWARZ. V. C. *in Num. Traian. ante Panegyr.* PLIN. *n. 26.* de quibus ille agit *p. XXIX.* cf. SPANHEM. *de Vſ. ac Praeſt. Numiſm. Diſſ. XIII. p. 542. ſeqq. T. II.* Dicti ſunt hi pueri eius nomine VLPIANI: quo pertinet epigramma ap. GRVTER. *p. MCXXXIV, 7.* Quod deinde Hadrianus, Antonini aliique non minus large præſtiterunt, vti Scriptores hiſtoriae Auguſtae litteris prodiderunt: Inuenimus enim *pueros puellasque Antoninianos, Fauſtinianos*, cum

in monumentis publ. tum in auctoribus rerum geſtarum commemoratos. V. SPANHEM. *de Vſ. ac Praeſt. Num.* l. c. Denique cum inprimis morum P. R. curam ſibi impoſitam intelligeret; quamquam nec cenſuram, nec morum praefecturam recipere voluiſſet, PLIN. *Paneg.* c. 45. tamen Cenſorium opus munusque *morum Praefecti* ſuſcepit, ac *Pantomimos* edicto prohibuit. PLIN. *Paneg.* c. 46. publicam diſciplinam his ſpectaculis & effeminatis artibus corrumpi, frangique arbitratus.

Ceterum ad imperii initium quoque pertinet, quod refert AVRELIVS VICTOR *p. 114. ed. Schotti, noſcendis ocyus, quae vbique e rep. gerebantur, admota media publici curſus.* Quod primum ab Auguſto inſtitutum, SVET. *Aug. c. 49.* ſuperiori tempore neglectum, & Neruae indulgentia, aliqua ex parte remiſſum, denuo diligentius ab Imperatore imperii tuendi ſtudioſiſſimo, ſiue conſtitutum, ſiue reſtitutum videtur. De qua re, quo minus vberius exponam, facit doctiſſimi Gothofredi diligentia in aureis ad Codicem Theodoſianum commentariis, & SALMASII *diſputatio ad Hadr. Spartian. p. 60. ſeqq. & ad Antonin. Pi. p. 279. ſeqq. in Scriptt. Hiſt. Auguſt. ed. Hack.*

VICESIMA HEREDATIVM ab Imperatore C. Julio Caeſare Auguſto lege a. V. DCCLIX. M. Æmilio & L. Aruntio Coſſ. DIO. CASS. *Lib. quinquageſimo quinto* adeoque biennio ante Legem Papiam Poppæam, callido conſilio, inſtituta eſt. Is enim, cum vidiſſet aerarium ex hau-

ſtum

ſtum eſſe pecunia, unde militibus ſtipendia ſolvi poſſent, veritus, ne, ſtipendiis non acceptis, milites ad res nouas moliendas ſollicitarentur; quo ſtipendia in facili eſſent, & perpetuo ſuppeditarent, aerarium militare inſtituit. SVETON. *Aug. 49.* cf. HEINEC. *Comm. ad L. Pap. Popp. L. III. c. 1.* Quod, cum nouis vectigalibus inſtruere & firmare cogitaſſet, inter alia hoc vectigal viceſimae hereditatium, iam a Julio Caeſare dictatore excogitatum, ſed euentu deſtitutum, quaſi in Caeſaris Commentariis repertum, quo populus facilius ferret hoc onus, ſed non tamen ſine difficultate multa, detrectantibus Senatoribus, induxit. DION *Lib. quinquageſimo ſexto.* Quamquam vero multa præterea eadem Lege, veluti de aperiendis, inſpiciendis, recitandis, deſcribendisque teſtamentorum tabulis, auctore PAVLLO JCto, *Rec. Sent. IV, 6.* cauta fuerunt, tamen ipſum vectigal, vt paucis complectitur DIO. *Lib. quinquageſimo quinto* fere erat huiusmodi, vt *τὴν εἰκοςὴν τῶν τε κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντες τισὶ, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν καὶ πενήτων καταλείπωσι*, h. e. *viceſimam hereditatium & legatorum, quae morientes quibusdam, exceptis proximis & pauperibus, relinquerent*, aerario iſti attribueret. Ex quo adparet, viceſimam hereditatibus, legatis, donationibusque mortis nimirum cauſa impoſitam fuiſſe. Ne autem graue hoc & intolerabile vectigal videretur, extraneis illud tantum iniunxit Auguſtus, quoniam nemo adventitio aliquo eiusmodi inſperatoque lucro auctus, facile eſſet detrectaturus, partem aliquam inde aerario decerpi;

 eoque

eoque conſilio immunes eſſe voluit *pauperes hereditates* & proximorum agnatorum τῶν πάνυ συγγενῶν. Pauperes autem hereditates, in qua ſumma ſubſtiterint, non facile eſt, in tanto veterum ea de re ſilentio, definire. PLINIVS *Paneg. c.* 40. quidem vocat *paruam et exilem* hereditatem. Πάνυ συγγενεῖς vero ſeu *proxime agnati* ſine dubio intelligebantur omnes hi, quibus ab inteſtato hereditas venire poſſet: quod quam late patuerit XII. tabulis, ſatis conſtat. Itaque hac quaſi exceptione aequitatem Legis ſuae commendabat Auguſtus. *Vigeſima* enim alioqui *tributum* foret *tolerabile* et *facile heredibus duntaxat extraneis* h. e. non cognatis, *domeſticis* h. e. agnatis *graue*. *Itaque illis irrogatum, his remiſſum, videlicet, quod manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi, ſeu potius non laturi homines eſſent, deſtringi aliquid et abradi bonis, quae ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate, meruiſſent, quaeque nunquam vt aliena et ſperanda, ſed vt ſua, ſemperque poſſeſſa, ac deinceps proximo cuique tranſmittenda, cepiſſent.* Sed quo magis reprehenſionibus liberaret Viceſimam Auguſtus, hoc quoque adiecit, vt Peregrini ea eſſent immunes. Nam cum commodis Rom. ciuitatis carerent, nec ex teſtamento ciuis R. capere poſſent, aequum ſane erat, nec incommodis ſubiici Rom. ciuium. Sed vbi in ciuitatem Rom. veniſſent, eodem iure vtebantur, quo ciues R. atque vectigal hoc ex hereditatibus legatisque ciuium R. ſoluere tenebantur. In quo quidem adeo iniquior erat nouorum ciuium conditio, quam Veterum, vt, niſi ſibi ſuisque iura cogna-

cognationis impetraſſent, *quibus erant coniunctiſſimi*, iis *alieniſſimi haberentur*, PLIN. *Paneg. l. c.* nec capere poſſent ex eorum bonis. *Noui* autem *Ciues* dicebantur ii, qui aut per Latium aut beneficio principis aut aliis modis e peregrinitate in ciuitatem veniſſent. v. SPANHEM. *Orb. R. Exerc. II. c. 3.* *Veteres* autem, qui maioribus ciuibus R. prognati eſſent, et quorum tota familia iure ciuitatis vteretur. Itaque, ſi quis nouus ciuis familiae ſuae hereditatem capere vellet, neceſſe erat cognationis iura impetrare. Hanc tamen legis acerbitatem mitigauit Nerua Imp. primus, qui, nouorum ciuium cauſa, ſanxit, *vt, quod e matris ad liberos, ex liberorum bonis perueniſſet ad matrem, etiamſi cognationum iura non recepiſſent, quum ciuitatem adipiſcerentur, eius viceſimam ne darent*, et addidit deinde, *vt eadem immunitate in paternis bonis filius gauderet, ſi modo reductus eſſet in patris poteſtatem.* PLIN. *Paneg. l. c.* At Traianus, cum, vbicunque poſſet, liberalitatem ſuam oſtenderet, neque, hac in Lege, commiſit, vt ea deſideraretur. Primum itaque hoc cauit, *vt, quemadmodum filius in patris, ſic in hereditate filii pater eſſet immunis, nec eodem momento, quo pater eſſe deſiiſſet, hoc quoque amitteret, quod fuiſſet.* Neque adeo paſſus eſt, quemadmodum Plinius addit, *lacrimas parentum eſſe vectigales.* Deinde exceptione a Nerua adiecta ſublata, viceſimae immunitatem ex iure aequitateque ſucceſſionis naturalis inter omnes aequauit, et nihil intereſſe iuſſit, *num filius in poteſtate patris fuiſſet, nec ne, intuitus vim legemque naturae, quae ſemper*

in ditione parentum liberos eſſe iuſſit. Item hoc nouum liberalitatis genus adſtruxit, et cauit, *vt in ſororis bonis frater, et contra in fratris ſoror, vtque auus, auia in neptis nepotisque, et inuicem illi, ſervarentur immunes. His quoque, quibus per Latium ciuitas Romana patuiſſet, idem indulſit, omnibusque inter ſe cognationum iura commiſit, ſimul et pariter et more naturae.* Qua quidem cautione omne penitus novorum veterumque ciuium diſcrimen ſuſtulit. Denique, cum Auguſtus pauperes hereditates excepiſſet, Traianus quoque *ſummam* definiuit, *quae publicanum pati poſſet*, maiore ſine dubio, quam Auguſtus, benignitate et liberalitate vſus. Praeterea quoque, ante, quam viceſimae ratio duceretur, ſumtus funeris ita iusſit deduci, vt ſumtus etiam maximos funeris cauſa facere permitteret, quibus interdum totae hereditates inprimis paruae et exiles abſorbebantur. *Carebit*, inquit Plinius, *onere viceſimae parua et exilis hereditas, et, ſi ita gratus heres volet, tota funeri ſeruetur.* Poſtremo velut liberalitati ſuae cumulum addidit, imperauitque, *vt, qui aliquid deberent fiſco ex viceſima, nondum tamen intuliſſent, non inſerrent.* Sed de his, qui plura edoceri cupiat, adeat PETRVM BVRMANN. V. C. litteratorum ICtisſimum, *in Diſſ. de Vectig. P. R. c. XI.* vbi et, quae ratio viceſimae poſt Traianum fuerit, docet, et, quibus, in Corporis Iuris locis mentio eius nobis ſeruata ſit, oſtendit: de quo etiam conf. V. C. WIELING. *Lect. Iur. Ciu. II, 32.*

Legem

Legem de MAIESTATE tulit, qua maieſtatis crimina penitus abolevit: de quo PLINIVS *Paneg. c. 42. Locupletabant et fiſcum et aerarium, non tam Voconiae et Iuliae Leges quam maieſtatis ſingulare et vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent. Huius tu metum penitus ſuſtuliſti, contentus magnitudine, qua nulli magis caruerunt, quam qui ſibi maieſtatem vindicabant.* Erat Lex *Apuleia, Cornelia* Sullae Dictatoris, *Varia*, de iis, qui maieſtatem ſ. amplitudinem dignitatemque P. R. laeſiſſent: vti *maieſtatis* crimen explicat A. *ad Herenn. II, 22.* Deinde *Iulia maieſtatis*, iam a Iulio Caeſare Dictatore lata. CIC. *Phil. I, 9.* Sed ſanctius munitiusque repetita ab Auguſto, cuius in *Pandectis XLVIII. t. 4.* fragmenta nobis ſeruata ſunt, omnibus Iuris ſtudioſis cognita. Harum ſententiam, quaſi in compendium redactam, et progreſſum maieſtatis criminum tradit TACITVS *An. I, 72.* Tiberium revocaſſe illam, ſed longe aliter inſtructam, narrans. *Legem maieſtatis*, inquit, *reduxerat, cui nomen apud veteres idem, ſed alia iniudicium veniebant: ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique male geſta rep. maieſtatem populi R. minuiſſet. Facta arguebantur, dicta impune erant.* De qua re qui plura cupiat, adeat Digeſta. *Auguſtus* autem *primus cognitionem de famoſis libellis ſpecie eius legis tractauit, commotus Caſſii Severi libidine, qua viros feminasque illuſtres procacibus ſcriptis diffamauerat:* TAC. *ibid.* hoc eſt non, quemadmodum volunt, caput fecit Legis Iuliae, de famoſis libellis, ſed cognitionem

de

de famoſis libellis ad formam ſpeciemque *Legis de Maieſtate* reuocauit, et ex ea ius dixit. *cf.* SVETON. *Aug.* 55. et DION CASS. *Libro quinquageſimo ſexto:* quod quidem exemplo Sullae fecit, qui *maieſtatem* eſſe voluit, *ne in quemvis impune declamare liceret.* CIC. *ad Div. III,* 11. v. Cel. CHRIST. *Noct. Acad. I,* 5. Sibi tamen ſi quis male dixiſſet, non requiſiuit Auguſtus, aut redarguit SVETON. *Aug.* 55. *Mox Tiberius conſultante Pompeio Macro praetore, an iudicia maieſtatis redderentur? exercendas leges eſſe, reſpondit. Hunc quoque aſperauere carmina, incertis auctoribus vulgata, in ſaeuitiam ſuperbiamque eius, et diſcordem cum matre animum.* TAC. *l. c.* Hoc ad delationes maieſtatis patefacto introitu, quamquam tum quidem vim iſtam repreſſit, tamen poſtea accuſari maieſtatis crimine paſſus eſt Cremutium Cordum, quod *editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Caſſium Romanorum vltimum dixiſſet.* TACIT. *Annal. IV,* 34. Idque adeo frequenter eo imperante factum eſt, atrociterque exercitum id iudicium SVETON. *Tib.* 58. vt SENECA *de Benef. III,* 26. dicat: *Sub Tiberio fuit accuſandi frequens et paene publica rabies, quae omni bello ciuili grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ſermo, ſimplicitas iocantium: nihil erat tutum, omnis ſaeviendi placebat occaſio, nec iam reorum expectabatur euentus, cum eſſet vnus.* Et Nero immaniſſimus inſtituit, vt Lege Maieſtatis facta dictaque, quibus modo delator non deeſſet, tenerentur omnia. SVETON. *Nero. c.* 32. Huc accedebat, quod cum ſibi, tum inprimis mortuis Impp. diuinitatem

nitatem quandam attribuebant; parumque abeſt, vt propterea mortuos Impp. videri poſſint in Diuorum numerum retuliſſe, quo crimine maieſtatis damnari poſſent ii, qui, contra mortuorum honorem aliquid dixiſſe vel feciſſe dicerentur. Certe Tiberius dicitur *coelo dicaſſe* Auguſtum, vt maieſtatis crimen induceret. PLIN. *Paneg. c. 11.* Quo facilius, qui rei facti erant, maieſtatis crimine perdebantur, cum etiam numen deorum religionemque violaſſe cenſerentur. Hinc factum, vt qui alicuius, contra reuerentiam atque dignitatem Impp. mortuorum, dicti vel facti nomine delati eſſent, ἀσεβείας *impietatis* ap. DION. CASS. *libro quinquageſimo ſeptimo* aliasque, crimen incidiſſe dicantur. Deinde etiam in viuos Impp. facta et dicta, *impietatis* vocabulo notabantur, ac puniebantur. Sic ap. SVETON. *Domitian. c. 10. impie locutus Parmularius*, beſtiis obiectus eſt, cui ap. PLIN. *Paneg. c. 33. impietas obiecta*, dicitur, *quod odiſſet gladiatorem.* Quod malum quantam ſtragem vaſtitatemque fecerit in ciuitate R. pleni de eo ſunt hiſtoricorum libri (*). Fuerat Titus quidem Imperator, tam humani animi princeps, vt ea crimina neque ipſe admittteret, neque alios permitteret recipere: DION CASS. *libro ſexageſimo ſexto.* Verum tamen Domitianus poſt eum tam libenter atque ſtudioſe iſti libidini immanitatique permiſit, vt numquam magis eo nomine ſaeuitum ſit. Quare in eo ſummam et humanitatem et lenitatem oſtendit Traianus, cum iſtud

(*) V. BRENEMANN. *de fatis delator. ſub Impp. c. II. Theſ. Iur. Ciu. T. III. p.* 1658.

iſtud crimen Maieſtatis penitus tolleret, eque republica proſcriberet. Effectum enim ea re erat, vt nihil vſpiam tutum, nihil firmum atque certum eſſet; neque amicis fides, parentibus pietas, dominis obſequium conſtaret. Quis enim, etſi ſumma taciturnitate, prudentiaque, praeſtare tamen et cauere hoc poteſt, ne quod dictum excidat, cuius ſententiam in prauum calumnia interpretari queat? Hanc humanitatis Traiani auctoritatem ſecuti poſtea ſunt Hadrianus, SPARTIAN. *Hadrian. c. 18.* et Pertinax Imperatores, CAPITOLIN. *Pertinac. vit. c. 6.* qui, crimine maieſtatis abrogato, ciuibus ſuis lumen inſigne ſuae lenitatis, et ſpem ſecuritatis certiſſimam oſtenderunt. Quo animo etiam fuiſſe videtur Alexander Imp. A. qui in *L. 1. C. ad L. Iul. Maieſt.* Paulino reſcribit: *Etiam ex aliis cauſis crimina maieſtatis ceſſant meo ſaeculo: nedum etiam admittam paratum te accuſare iudicem propterea crimine maieſtatis, quod contra conſtitutionem meam eum dicis pronunciaſſe. P. P. III. Id. April. Maximo II. et Iuliano Coſſ.* Sed poſtea tamen Imperatores denuo Legem maieſtatis exercuerunt, ſed ratione et modo, in iis cauſis, in quibus vere contra maieſtatem ſuam, amplitudinemque imperii factum eſſet. Plane ſi quid machinatus quis eſſet, vt vel cum hoſtibus vel cum militibus ſceleratam iniret factionem, aut ſimile quid conflaret. *L. 5. C. eod. cf. Digeſt. ad Leg. Iul. maieſt.* Neque vero aut Traianus aut Hadrianus, vel Alexander Impp. alia mente fuiſſe videntur, quam vt, quae olim maieſtatis crimina in innocentes torquerentur ſub ma-

lis

lis Impp. cum nullum verum aduerſus ſalutem ſuam imperiique commiſſum eſſet, vt ea tantum ſuo ſaeculo non audirentur. Alioqui ſi vere aduerſus Legem Maieſtatis admiſſum quid eſſet, id in iudicium vocari videntur eſſe paſſi. Certe VLPIANVS *Lib. VII. de Off. ProCos.* in *L. 1. D. ad L. Iul. maieſt.* qui ſub Alexandro vixit, oſtendit, eum non omnem maieſtatem ſuſtuliſſe, ſed temperaſſe, ac iuſtis finibus coërcuiſſe. Neque profecto cum in eiusmodi re ſalus ſecuritasque publica in diſcrimen vocetur, ratio prouidentiae in adminiſtranda rep. tuendoque imperio conſtare Imperatoribus aliter poterat. Quid? num quis magis ad ſupplicium poenamque vocandus, quam qui, quantum in ipſo fuit, ſalutem et ſecuritatem publicam penitus evertit? Sed monet tamen iudices MODESTINVS *in L. 7. §. penult. D. ad Leg. Iul. Maieſt. non eſſe id crimen* (Maieſtatis nim.) *in occaſione* ſuperbiae, cupiditatis, crudelitatisque principum *habendum, ſed in veritate.* (Hoc enim ſine dubio ſignificatur per verba *ob venerationem principalis maieſtatis.*) *Nam et perſonam*, pergit, *ſpectandum eſſe, an potuerit facere, et an quid fecerit, et an cogitauerit &c.* de cuius *L. 7. §. vlt.* elegantem coniecturam protulit NOORDKERKIVS V. C. *Obſ. c. IX. p. 169. ſqq.*

Eodem tempore lata a Traiano Imp. *Lex* eſt ſiue *Edictum de* AERARIO. PLIN. *Paneg. c. 36.* In quo ſine dubio coërcuit ratione aliqua modoque cauſas, quae ad aerarium deferri poſſent. Ita enim Plinius: *Quam iuuat cernere aerarium ſilens, et quietum, et quale ante delatores erat! Nunc*

templum

templum illud, nunc vere aedes (*) *non ſpoliarium ciuium, cruentarumque praedarum ſaeuum receptaculum, ac toto in orbe terrarum adhuc locus vnus, in quo, optimo principe, boni malis impares eſſent.* E quo loco ſane adparet, quanta iniuria aerarium fuerit ſub illis cruentis cupidisque principibus locupletatum, quamque neceſſarium fuerit, cauſis aliquos fines praeſcribi. Neque enim exiſtimandum, cauſas omnes, quae ad aerarium deferendae eſſent, ſublatas fuiſſe. Intererat reip. et poenas eſſe, quibus multarentur improbi, et aerario ſuas conſtare rationes. *Manet honor Legum,* inquit Plinius, *nihil ex publica vtilitate conuulſum, nec poena cuiquam remiſſa, ſed addita eſt vltio ſolumque mutatum, quod iam non delatores, ſed leges timentur.*

Cumque aerarium pertineret ad populum, fiſcus (**) autem ſolius eſſet principis, inſtitutus ſine dubio ab Auguſto; tanto majore ſeueritate FISCVM cohibuit, quanto plus ſibi licere de ſuo, quam de publico crederet. Exiſtimabat nempe idque prae ſe ferre ſolebat, auctore Victore, *fiſcum lieni eſſe ſimilem, quod eo creſcente, reliqui artus tabeſcerent.* Cuius auctoritatem ſententiae ſecutus CLAVDIANVS *Minoë* ait:

Huma-

(*) Sequimur lectionem ed. GESNERI Viri Cel. quem, propter ſummam eruditionem honoris cauſa nomino lubens. Neque vero mihi ſatisfaciunt, quae pro defendenda lectione vulgata: *deus* ad h. l. attulit Cel. SCHWARZIVS.

(**) Nolo hic euagari in fiſci aerariique & ratione & differentia oſtendenda, quando omnia in vulgus nota ſunt

Humani quod ſplen eſt corporis, in populi re
Hoc Caeſar fiſcum dixerit eſſe ſuum.
Fiſco aucto, reliqui tabeſcunt corporis artus:
Fiſco aucto, arguitur civica pauperies.

Ea ſententia cum eſſet Traianus, licere voluit cuique, vt, ſi a procuratoribus & actoribus fiſci iniuriam ſibi factam putaret eſſe, in ius eos vocare poſſet. *Dicitur*, inquit Plinius, *actori atque etiam procuratori tuo: IN IVS VENI; SEQVERE AD TRIBVNAL.* Conſtitutum enim aliquod tribunal erat, in quo ciues aduerſus principem ipſum fiſcique iniurias experiri poſſent: *Tribunal*, ait porro Plinius, *quoque excogitatum principatui eſt, par caeteris, niſi illud amplitudine litigatoris metiaris.* Quod quidem tribunal aliud eſſe non poteſt, niſi *Praetoris fiſcalis:* quando nulli niſi magiſtratui tribunal conuenit. Inſtitutus ille *Praeter fiſcalis* iam a D. Nerua fuerat, auctore POMPONIO *L. 2. §. 32. D. de O. J. qui inter fiſcum & priuatos ius diceret.* Quem tametſi Cel. SHWARZIVS, auctoritate loci Pliniani, a Traiano primum conſtitutum, legendumque apud Pomponium *D. Nerua Traianus*, putat, hac inprimis de cauſa, quod nullus veterum auctorum tale Neruae Imp. inſtitutum prodiderit: tamen, pace Viri Cel. ego neque rationes eius ſatis idoneas, neque emendationem neceſſariam arbitror. Verum eſſe illud quidem ego fateor lubens, auctorem de iſta Nervae conſtitutione tradere neminem. Sed in re hiſtorica quam parum valeat argumentum, quod *inficiale* dicitur, nemo vnus ignorat: niſi ſi probetur ſilentium grauiſſimi hiſtorici, qui pro con-

ſilio propoſitoque ſcribendi rem neceſſario commemorare debuiſſet. v. CHRITIANI LVD. STIEGLITII V. C. amiciſſimique, Diſſ. *de fide hiſtorica recte aeſtimanda* eleganter admodum docteque conſcripta, & a. 1746. Lipſ. praeſide Viro Celeberrimo IO. AVG. ERNESTI defenſa. Et in rebus Neruae ac Traiani, in tanta ſcriptorum eius temporis penuria, quis tuto recteque ita rationes ducat, ut, quoniam vnus ſolummodo quid narret, id propterea falſi arguat? Cum vero nulla alicuius ſcriptoris, vel corruptiſſimi alioqui, niſi neceſſitate ſumma cogente, emendatio ſit ſuſcipienda: reſtat, ut, an eiusmodi adferatur, paucis cognoſcamus. Ac Plinius quidem videtur indicare, a Traiano inſtitutum Praetorem fiſcalem eſſe, quod dicit, *excogitatum tribunal principatui*. Pomponius autem tradit, eundem Neruae deberi. Jam pugnantibus inter ſe ſcriptoribus, probandus eſt is, qui maximam fidem habet. At ſine dubio magis idoneus Pomponio Plinius ſit, neceſſe eſt, qui eadem aetate in publica luce vixerit, & praeterea candidiſſimi pectoris ſumma ſpecimina ediderit. Ex quo ſane fit, vt hic recte rem tradiderit, ille perperam, &, quoniam Pomponium errasſe in re, propius inſtitutum ſuum attingente, non ſit credibile, librariorum culpa corruptus, & e Pliniana auctoritate emendandus Pomponius eſſe videatur. Quae quidem omnia recte collecta eſſe, ſi negem, amens ſim: Modo de pugna vere liquidoque conſtet. Sed pugnam non eſſe, facile, puto, oſtendi poterit. Plinius enim non tradit, excogitatum eſſe a Traiano illud tribunal, ſed hoc tantum,

tantum, *excogitatum eſſe*. Quod, ſi Trajanus primus auctor fuiſſet, quoniam cetera ab ipſo primum conſtituta diligenter, copioſeque perſequitur, non ſane videtur praetermiſſurus fuiſſe. Itaque a Nerua inſtitutum id eſſe, Pomponioque puto conſtare auctoritatem ſuam. At, inquis, quid igitur laudibus extollat Plinius Traianum, qui id non excogitauerit primus? Quaſi vero neceſſe ſit, ut, ſi primus id non induxerit in remp. nihil ea in re facere potuerit, quod Orator poſſet ornare. Propria haec Traiani laus erat, quod multa de iudicii iſtius forma, de modo iudices ſortiendi, eligendique, aut reiiciendi, noua & ſalubria propoſuerat. Jam Nerua multas res egregias inſtituerat in ciuitatem introducere, qui, vt ait TAC. *Agric. c. 3. res olim diſſociabiles miſcuit, principatum & libertatem.* Tanquam, quod de Viceſima hereditatium, de libertis ac ſeruis aduerſus patronos dominosue non audiendis, ſanxit; In quibus firmandis, augendisque Traianus, ſe ad eius exemplum componens, ſuae humanitatis non minus, quam bonitatis lumen oſtendit: in Panegyrico Plinii hoc nomine inſignite laudatus. Igitur eodem iure Plinius hac in cauſa in Traiani laudes exurgit, quod illud iudicium fiſcale & confirmarit, & melius conſtituerit. Illud autem iudicium hanc habuiſſe formam videtur. Praetor fiſcalis omnem inter fiſcum ac priuatos iurisdictionem, iudicis dationem, addictionem, habebat. v. POMPON. *L. 2. §. 32. D. de O J.* Is, quemadmodum Vrbanus ac Peregrinus, de iure diſceptantibus decretum interponebat: de facto autem

 quae-

quaeſtione exorta in re fiſcali, iudices ſelectos dabat: quorum quidem decuria videtur fuiſſe cum ex aliis a Praetore lectis, tum ex Procuratoribus Caeſaris compoſita: *Eos*, inquit Plinius, *Procuratores habes, vt plerumque ciues tui non alios iudices malint.* Ex his nomina eorum, qui iudices eſſe deberent, in vrnam coniiciebantur: *Sors & vrna fiſco iudicem adſignat.* PLIN. *l. c.* Sed quemadmodum Romae antiquitus ita comparatum fuit, vt non eſſet in vlla cauſa iudex, niſi qui inter diſceptantes conueniſſet CIC. *p. Cluent. c. 43. cf. p. Roſc. Com. 15. Verr. III, n. 59. 60.* tam in civilibus, quam in publicis cauſis: vt vel iudices a Praetore datos reiicere poſſent, quosdam actor, aliquot is, vnde petebatur, aut reus; vel conſenſu *ſumere* CIC. *p. Flacc. c. 41.* qui deinde *addicendus* a Praetore eſſet: v. de reiectione iudicum SCHVLTING. *Diſſ. de recuſatione iudic. cap. 17. p. 32. ſeqq.* ita, Traiani inſtituto, *reiicere* poterant litigantes, quos parum aequos ſibi futuros iudices putarent. *Licet reiicere:* Quod addita interdum cauſa fiebat veluti hic, ut Plinius inquit, *licet exclamare: Hunc nolo, timidus eſt & bona ſaeculi parum intelligit.* h. e. quia timidus eſt, adeoque non audebit contra Caeſaris utilitatem iudicare, cum haec Optimi Principis indulgentia eam libertatem iuſtitiae permittat. Sic apud CIC. *Or. II, 70. Eiero, iniquus eſt.* cf. *Phil. XII,* 7. Nam interdum id fiebat, interpoſito iureiurando. cf. CIC. *Verr. III, 60.* ASCON. PAEDIAN. *in Cic. orat. in toga cand.* Atque ita ſecundum antiquam reip. formam in hoc quoque iudicio reiicere iudices licebat. Sed non

non ſolum reiiciendi poteſtatem fecit Traianus Imp. libertatis priſtinae amantiſſimus, ſed etiam ſumendi eligendique copiam dedit: Quod Plinius oſtendit ex perſona diſceptantis loquens: *illum volo, quia Caeſarem fortiter amat:* i. e. quia Caeſarem amat ille quidem, ſed ita, ut non timeat contra Caeſarem, fiſcumque, aut eius actores, procuratoresue pronunciare. *Fortiter* eſt ſine timore. Sed quem *elegerat* quis iudicem, eum amplius reiicere aut recuſare non poterat. PLIN. *H. N. praefat. Liberum eſt,* inquit Plinius porro, *diſceptanti dicere: NOLO EVM ELIGERE.* Neque enim Traianus hanc neceſſitatem impoſuerat, vt oporteret eligi procuratores ſuos. Neque enim vllam neceſſitatem muneribus ſuis addebat, auctore Plinio, vt qui ſciret hanc eſſe principalium beneficiorum ſummam gratiam, ſi illis & non vti liceat. Sed haec in fiſcalibus controverſiis libertas, atque aequabilitas ab Hadriano Imp. valde videtur fuiſſe coërcita, atque imminuta, qui *Aduocatum fiſci* conſtituerit. Deinde & illa iudicum electio, recuſatio, reiectione ſine dubio ſublata fuit, quod colligi poſſe puto, ex eo, quod Calliſtratus in *L.* 47. *D. de iudic.* cenſet: *Obſervandum eſt, ne is iudex detur, quem altera pars nominatim petat; id enim iniqui exempli eſſe, Divus Hadrianus reſcripſit, niſi hoc ſpecialiter a principe, ad verecundiam petiti iudicis reſpiciente, permittetur.* Ceterum huc referendum eſt, quod Traianus Imp. cum fiſci iniurias cohiberi, coërcerique vellet, conſtituiſſe videtur, vt non amplius relegatorum bona in fiſcum vindicarentur,

tur, quod ſuperiorum temporum auaritia factitatum erat. Cumque de relegati alicujus bonis a Didio Secundo conſultus eſſet, idem reſcripſit: cuius reſcripti caput extat apud POMPONIVM in *L. 1. D. de interd. & releg.* de quo infra quaedam, inter reſcripta, disputabuntur.

Hoc eodem anno collocandum eſt, quod EDICTVM *de teſtamentis* promulgavit. PLINIVS *Paneg. c. 43. In eodem genere,* inquit, *ponendum eſt, quod teſtamenta noſtra ſecura ſunt.* Quo quidem edicto, & Imperatorum ſuperiorum improbitatem reprehendiſſe videtur, & hominum iracundorum inhumanitatem in teſtamenti tabulis ſcribendis repreſſiſſe. Illi enim tyranni intemperantiſſimi, Caius, Nero, Domitianus, cum, luxuria, perditiſſimo vitae genere, exhauſto aerario, fiſcoque, egerent, nihil non reliqui fecerunt, quin id agerent, *ne quis quidquam haberet*, quemadmodum profitetur Nero ap. SVETON. *c. 32.* ſed vt omnia omnium hominum patrimonia in ſuum fiſcum, quaſi flumina in oceanum, confluerent. Inter eas artes autem haec non erat exigua, quod ſi quis vel minima neceſſitudine ſe ſuamque gentem attingens, principe non inſtituto herede, deceſſiſſet, teſtamenta tamquam ingrata reſcindebant; ſibique hereditatem vindicabant. Caligula quidem *teſtamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii, neque illum, neque ſe, heredem reliquiſſent, vt ingrata reſcidit. Item ceterorum, vt irrita, & vana, quoscunque quis diceret herede Caeſare mori diſtinaſſe. Quo metu iniecto, cum iam & ab ignotis inter familiares, & a parentibus inter*

ter liberos palam heres nuncuparetur: deriſores vocabat, quod poſt nuncupationem viuere perſeuerarent, & multis venenatas mactteas miſit. SVETON. *Calig. 38.* Nero autem inſtituit, *vt e libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dextans cogeretur ei, ſi qui ſine probabili cauſa eo nomine eſſent, quo fuiſſent vllae familiae, quas ipſe contingeret. Deinde vt ingratorum in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent: ac ne impune eſſet ſtudioſis iuris, qui ſcripſiſſent vel dictaſſent ea,* SVETON. *Neron. c. 32.* Sub Domitiano denique *confiſcabantur alieniſſimae hereditates, vel exiſtente vno, qui diceret, audiſſe ſe ex defuncto, cum viueret, heredem ſibi Caeſarem eſſe.* Quo terrore obiecto homines, qui ſuis ſeruare ſaltem patrimonii partem cuperent, perpulerunt, vt principem heredem adſcriberent non ſententiae ſuae, ſed timoris rationem habentes. Itaque fiebat, vt ſiue Caeſar heres ſcriptus eſſet, ſiue non eſſet, patrimonia defunctorum occuparentur: & tunc temporis noua ratio teſtamenti reſcindendi induceretur, *ingrati* in Caeſarem. Cum igitur eſſent homines, qui aut in proprium ſanguinem, aut propinquos ſuos, ſine cauſa irati, hos nollent vllo modo ad ſuam hereditatem venire, aut ſi quis falſas tabulas proferret; ſcribere ſolebant heredem Caeſarem, ſatis certo intelligentes, eas tabulas, quibus Caeſar eſſet heres inſtitutus, nulla neque inofficioſi, neque irriti aliaue querela infirmari reſcindique poſſe. Haec duo igitur mala de reip. corpore depellenda Edicto ſtatuit Traianus; cuius nobis ſententiam PLINIVS *Paneg. l. c.* ſeruauit. Vetuit itaque primum, ſi

ab amicis, aut aliqua neceſſitudine coniunctis praeteritus fuiſſet, tabulas, tamquam ingratas reſcindi, a fiſcoque occupari bona. Ita enim Plinius Traianum adloquitur: *teſtamenta noſtra ſecura ſunt; nec vnus omnium, nunc quia ſcriptus, nunc quia non ſcriptus, heres es. Scriberis ab amicis, ab ignotis praeteriris, nihilque inter priuatum & principem intereſt, niſi quod nunc a pluribus amaris:, nam & plures amas.* Paullo poſt: *ceſſerit parum gratus: manent tamen ii, qui bonis eius fruantur, nihilque ex illis ad te niſi gloria redit.* Deinde & illis inofficioſis, improbis, inhumanisque teſtamentis modum poſuit, quibus, vt, quos e proximis, neceſſario inſtituendis, niſi ſumma eſſet exheredandi cauſa, ſine cauſa odiſſent defuncti, eo certius, tutiusque repellerent a tota hereditate ſua, heredem facere Caeſarem homines impii ſolerent. Vetuit enim teſtamentum inofficioſum aut improbum propterea ratum eſſe firmumque, quod ipſe eo ſcriptus eſſet heres: atque adeo voluit aduerſus ſe, non ſecus atque adverſus quemcunque priuatum, ſi heres inſtitutus fuiſſet, inofficioſi agi poſſe. Denique, falſis ſubiectisque & imperfectis, aut non iure factis teſtamentis propterea vim, auctoritatemque conſtare noluit, quod falſarius, ſubiector, aut teſtator, illegitime nuncupans, cautione callida, Caeſarem in eo adſcripſiſſet. Quod Plinius hac dictione confirmat: *Non tu falſis, non tu iniquis tabulis advocaris. Nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit: nec, quia offendit alius, nuncuparis.* Denique ſe non niſi honoris cauſa ab

amicis

amicis paſſus eſt nuncupari. *Scriberis*, inquit Plinius, *ab amicis, ab ignotis praeteriris.* Jam Tiberius ea in re humanum ſe tractauit, atque bonum, *quod neque hereditatem cuiusquam adiit, niſi cum amicitia meruiſſet: ignotos autem & aliis infenſos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat.* TAC. *An. II*, 48. Exemplum Traiani deinde ſubſecutus eſt Pertinax Imp. qui *profeſſus eſt, nullius ſe aditurum hereditatem, quae aut adulatione alicuius delata eſſet, aut lite perplexa, vt legitimi heredes & neceſſarii priuarentur:* addiditque Senatusconſulto, haec verba: *Sanctius eſt P. C. inopem remp. obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per diſcrimina ac dedecoris veſtigia peruenire.* JVL. CAPITOLIN. *ei. vit. c.* 7. Quam orationem Pertinacis, SCtumque in eam factum, Sacratiſſimus Imperator Juſtinianus, propter inſignem aequitatem, humanitatemque, dignam cenſuit, quam in Inſtitutionibus ſuis confirmaret, ſanciretque: Ita enim §. 8. *quib. mod. teſt. infirm.* *Eadem oratione* (Diui Pertinacis, quam *ſuperiori* §. laudavit), *expreſſit, non admiſſurum ſe hereditatem eius, qui litis cauſa principem reliquerit heredem: neque tabulas non legitime factas, in quibus ipſe ob eam cauſam heres inſtitutus erat, probaturum: neque ex nuda voce heredis admiſſurum, neque ex vlla ſcriptura, cui iuris auctoritas deſit, aliquid adepturum. Secundum hoc diui Seuerus & Antoninus ſaepiſſime reſcripſerunt. Licet enim*, inquivnt, *legibus ſoluti ſumus, attamen legibus viuimus.*

Anno eidem tribuendum ſine dubio eſt BENEFICIVM *eorum, qui ſe ipſi deferunt:* quod

Beneficium D. Traiani ſaepe numero dicitur. Propoſuit autem illud *Edicto L. 13. D. de iur. fiſc.* Quaeri poteſt, vtrum SCto id primum fuerit ſtatutum, quod deinde Imperator, quo maiorem vim haberet auctoritatemque, edicto promulgato ſanxerit. Id enim reperimus fuiſſe moris, vt SCta edicto Imperatorum promulgarentur et confirmarentur. v. BVRM. *Diſſ. de Vectig. P. R. c. VI. p. 85. ſqq.* Inde fit, vt, quod vno in loco *Edicto* Imperatoris conſtitutum dicitur, idem alio in loco *SCto* tributum reperiatur. Sic in *L. 1. D. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. SCto*, quod in *L. 24. §. 1. D. de reb. auct. jud. poſſ. Edicto* Marci, ſancitum dicitur. Verum vix mihi videtur hac in re prius interceſſiſſe Senatus auctoritas, propterea, quod inuenimus beneficia fuiſſe ab Imperatoribus per Edicta conceſſa: tamquam Titus Imp. omnia ſuperiorum Imperatorum beneficia vno edicto complexus confirmauit. DIO, CASS. *Lib. ſexageſimo ſexto.* SVETON. *Tit. c. 8.* quod etiam Diuus Nerua fecit Edicto illo elegantiſſimo, pulcerrimoque, quod extat in PLINII *ep. X, 66. n. 7.* Ipſum autem beneficium HEINECCIO *H. I. §. 255.* videtur fuiſſe capitulum edicti ſeueriſſimi, quo Traianus calumnias delatorum repreſſit, auctore PLINIO *Paneg. c. 34.* Neque ſane negandum eſt, fieri potuiſſe, vt vno eodemque edicto et calumnias delatorum coërceret, et beneficium hoc largiretur. Verum cum de eodem hoc beneficio duo Edicta ab eo propoſita fuerint, et Edictum de delatorum poenis ſatis grandem materiam habuerit, ego quidem a me impetrare non poſſum,

vt

vt vtrumque vno Edicto ſancitum putem. Sed quo huius beneficii conditio clarius explicetur, altius paullo rem repetendam ducimus. Lege Iulia caducaria iis, qui caduca detuliſſent, proemia conſtituta erant (*). Qua quidem re putabat Auguſtus Legi ſuae, acriora vincula addidiſſe: TAC. *Ann. III, 28. acriora ex eo,* inquit, *vincla, inditi cuſtodes,* h. e. delatores, *et Lege Papia Poppaea proemiis inducti, vt, ſi a priuilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium, populus vacantia teneret.* Proemia quanta in ea lege delatoribus propoſita fuerint, quamquam pro certo adfirmari, in tanto omnium ſcriptorum ſilentio, non poteſt: tamen mihi non eſt dubium, quin quartae fuerint, propterea quod iam antiquis temporibus quarta delatorum in vſu fuit. Colligi id poteſt e CIC. *de Inuent. II, 37.* Certe Lege Cornelia de ſicariis data ſunt proemia, *L. 25. pr. D. ad SCt. Silan.* ſine dubio quartae. Inde enim nomen *Quadruplatores* habuiſſe, dicit ASCON. PAEDIAN. *ad Cic. Diuin. in Caecil. c. 7. Delatores,* inquit, *erant criminum publicorum, in qua re partem quartam de proſcriptorum bonis, quos detulerant, conſequebantur.* Deinde diſerte *quartam* memorat TAC. *Ann. IV, 20. accuſatoribus, ſecundum neceſſitudinem Legis* datam. V. BRENCMANN. *Diſſ. de Leg. Remm. c. II. in Theſaur. Iur. Ciu. T. III.* Quae forte quarta ſub Tiberio, Caio, Claudioque aucta

(*) De Lege Iulia Caducaria ſ. capite Legis Papiae Poppaeae de caducis eleganter ſane, & erudite diſputauit HEINECCIVS Vir Cel. *in Commentar. ad Leg. Iul. Pap. & Popp. Lib. III. c. III. p. 383. ſqq.*

aucta videri poſſit, quod Nero proemia delatorum *ad quartas* redegiſſe dicitur apud SVETON. *Neron. c. 10.* At octaua pars conceſſa, *L. vlt. C. de delat.* quae lex quamquam in Codice noſtro non exſtat, ſententia tamen eius reperitur in *Lib. VI.* Βασιλικῶν *tit. I. c. 58.* et ex ea eſt, quod recenſet Harmenopulus *Epitom. I, 5.* Vnde graece exhibetur ea conſtitutio a CVIAC. in *Comm. ad tres poſt. lib. Cod. p. m. 37.* cf. eund. *Recitat. ſolem. ad tit. Dig. de his q. vt indig. auf p. m. 876.* Iam cum delatoribus ſpes huiusmodi oſtenſa eſſet, etiamſi nullam iuſtam cauſam ſaepe numero haberent, niſi cupiditatem ſuam; tamen humiles animae, et lucri adpetentes, non dubitarunt ad deferendum quemuis accedere. Quae quidem deferendi libido tamquam aliqua calamitas ciuitatem Romanam peruadens, fortunas ciuium domusque euertebat. TAC. *Ann. III, 25.* Igitur, quo homines inuitarentur, adlicerenturque proemio, vt mallent ſe deferre ipſi, et partem eius opimam accipere, quam ab aliis deferri, et vniuerſum perdere: Traianus edictum promulgauit, quo iis, qui ſe deferrent ipſi, dimidium ſummae condonauit. Ita enim PAVLLVS *Lib. VII. ad L. Iul. et Pap.* in *L. 13. D. de iur. fiſc. Edicto D. Traiani quod propoſui,* (Ita enim ex *Florent.* legendum, quod indicat ipſum edictum hoc libro a ſe propoſitum fuiſſe) *ſignificatur: vt ſi quis, antequam cauſa eius ad aerarium d*[illegible] *profeſſus eſſet, eam rem, quam poſſ*[illegible] *ſibi non licere, ex ea partem fiſco* [illegible] *ipſe retineret.* Verba edicti ipſa [illegible] dentur: QVICVMQVE, ANTE-

TEQVAM CAVSA EIVS AD AERARIVM DEFERATVR, PROFESSVS FVERIT, EAM REM, QVAM POSSIDERET, CAPERE SIBI NON LICERE, EX EA PARTEM AERARIO INFERTO, PARTEM IPSE RETINETO. Ita quidem ex *L. 13. et 16. h. t.* colligere licet. Certe verba QVICVMQVE PROFESSVS FVERIT in ipſo edicto ſcripta fuiſſe indicat VLPIANVS in *Lib. XVIII. ad. L. Iul. et Pap.* in *L. 16. h. t. Ait D. Traianus: QVICVMQVE PROFESSVS FVERIT:* deinde interpretatur: *QVICVMQVE accipere debemus tam maſculum, quam feminam. Nam feminis quoque, quamuis delationibus prohibentur, tamen ex beneficio Traiani deferre ſe permiſſum eſt.* Itaque omnibus, etiam iis, quibus alioqui delatione aliorum interdictum erat, qui recenſentur in *L. 18. h. t.* veluti feminis, deferendi ſui facultas dabatur propterea, quod nullo iudicio contradicto vſus erat. *Nec non id aeque non intererit*, pergit Vlpianus, *cuius aetatis ſit is, qui ſe defert, vtrum iuſtae an pupillaris. Nam pupillis etiam conceditur deferre ſe, ex quibus non capiunt.* In quibus verbis *iuſta aetas* opponitur *pupillari*, adeoque vim habet eam, vt aetatem, quam minorem vocant, pubertatemque denotet: quemadmodum in *L. 8. D. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* cum alioqui pro aetate 25. annorum ſeu maiori capiatur. Omnibus igitur tam feminis, quam maſculis puberibus, impuberibus, hoc beneficium conceſſum fuit: modo ſe ipſi deferrent. Quod quidem

tam

tam ſeuere fuit acerboque obſeruatum, vt etiam PAVLLVS in *L. 13. §. 8. h. t.* quod ſeruo relictum eſſet, id a domino deferri negaret oportere. Nam tametſi, cum ſeruo legatur, perſona domini inſpicitur, vtrum cum eo ſit teſtamenti factio, tamen ex perſona ſerui legatum aut conſiſtit, aut non conſiſtit, non ex domini perſona. *L. 82. §. 2. D. de legat. II.* adeoque aequum ſane, certe non iniquum eſt, dimidia parte non frui eum, ex cuius perſona legatum non ſubſiſtit, et cui honor non eſt habitus. v. GVIAC. *Recit. Soll. ad h. l. p. m. 1289.* Cum hoc beneficium iis tantum daretur, qui ſe ipſi deferrent, dubitatum fuit, an heres eius, qui, quod capere non poſſet, contra leges cepiſſet, deferre ſe poſſet. At Diui Fratres reſcripſerunt, eum ita demum ſe deferre poſſe, ſi, qui plus iuſto cepiſſet, is, cum deferre ſe vellet, ea in re morte praeuentus conſilium deſtituiſſet. *L. 13. §. 6. eod.* Neceſſe erat, vt eo animo fuiſſet. Etenim, ſi, quoniam occultari rem poſſe ſperasſet, ea de cauſa ſe deferre cunctatus fuiſſet: heres eius nihil praeter *vulgare proemium*, quod delatoribus aliorum propoſitum erat, non vero dimidiam bonorum partem capiebat ex reſcripto Hadriani *L. 13. §. 5. eod.* Profesſio autem fieri iſta debebat, antequam ab alio deferretur. Ait enim edictum: ANTEQVAM EIVS CAVSA AD AERARIVM DEFERATVR. Nam ſi praeuentus fuiſſet ab alio, quoniam occupantis eſt potior cauſa, ipſe ab delatione excludebatur. *L. 1. pr. h. t.* In quo tamen, alium iam caduca detuliſſe, non erat fraudi, ſi modo ſtatim ab apertis

tis tabulis profiteretur. Huiusmodi enim profeſſionem recipi iuſſerat Antoninus, *L. 13. §. 7. h. t.* nec proemio dignam cenſuerat alterius nimis praecipitem eo in genere feſtinationem. AD AERARIVM autem defertur, quoniam caduca ad ararium pertinent, eorumque cognitio eſt praefecti aerario. Deinde profiteri oportebat ex hoc edicto, EAM REM, QVAM POSSIDERET, SIBI CAPERE NON LICERE. Itaque hoc beneficium Traiani proprie ad eos tantum pertinebat, qui, quae ad ipſos peruenire e Lege caducaria non poterant, iam poſſidebant. Cui quidem profeſſioni hoc proemium proponitur: VT PARTEM AERARIO INFERRET, PARTEM IPSE RETINERET. Nam quoniam iam poſſidebant, partem ſuam dimidiam retinere licebat. Quamquam in *L. 13. fiſci* mentio fiat, in hoc edicto proponendo, tamen non eſt dubium, quin Traianus in ſuo edicto AERARIVM poſuerit: & a manu Triboniani profecta ſit *fiſci* mentio: cum inprimis in verbis paullo antecedentibus, negligentia lapſus, *aerarii* vocabulum reliquerit. Ab Auguſto inſtitutum erat, vt *ad populum* h. e. aerarium, pertinerent caduca & vacantia. TAC. *Ann. III, 25.* atque ea ratio ſub ſequentibus Impp. fuit: de Traiani ſaeculo certe teſtatur PLINIVS *ep. II, 16. VI, 12.* Neque improbabile eſt, primum ea bona fiſco adiunxiſſe Antoninum Caracallam, ſi auctori credamus VLPIANO *fragm. XVII, 11.* Cum eius ab aetate inde ad fiſcum pertineret caducum; fragmenta ICtorum a Triboniano ad vſum ſui tempo-

ris

ris accommodata eſſe, quis eſt, quin intelligat? v. HEINECC. *Comm. ad L. Pap. Popp. III, 5. p. 401. ſq.* Verum cum hoc edicto de iis tantum ſtatuiſſet, qui, quod capere non poſſent, poſſiderent: eſſent autem, quibus, quae capere non poſſent, etiam relicta eſſent teſtamento, ſed qui non poſſiderent: alio edicto de his Imperator ſanxit. Ita enim PAVLLVS *L. 13. §. 1. h. t.* dicit: *At poſtea idem edicto ſignificauit.* Cuius edicti haec mihi forma fuiſſe videtur. QVICVMQVE PROFESSVS FVERIT, VEL PALAM VEL TACITE RELICTVM SIBI, QVOD CAPERE NON POSSIT, ET PROBAVERIT, ID IAM AD POPVLVM PERTINERE; ETIAMSI ID NON POSSIDEAT, EX EO QVOD REDACTVM ERIT A PRAEFECTIS AERARIO, PARTEM DIMIDIAM CAPITO. Ita enim colligo ex laudata §. *prima:* in qua quamquam ait ICtus: *quaecumpue profeſſa eſſet*, tamen, cum in altero edicto *L. 16. h. t. quicumque profeſſus fuerit*, ſcriptum fuerit, neque edicta, legesque & SCta ſolo ſexu ſequiore virilem comprehendere, ſed potius, maſculino, vt potiori, femininum complecti ſoleant: mihi dubitandum nullo modo viſum fuit, quin ita apud Paullum quoque legendum ſit, atque emendandum, *quicumque profeſſus eſſet*. Ex hoc igitur edicto proemium conſtituitur ei, QVI PROFESSVS FVERIT, VEL PALAM VEL TACITE RELICTVM SIBI, QVOD CAPERE NON LICEAT. Modo id latuerit fiſcum. Rei autem fiſco iam notae

delatio

delatio proemium non meretur. Ita ICtus § 3. *id autem deferri debet, quod latet, non id, quod iam fiſci eſt.* Sed altius & quaſi a capite arceſſenda ſuo fideicommiſſorum tacitorum conditio videtur. Lex Caducaria vetabat aliquid, aut non tantum, quantum optarent, ei relinquere, qui quoniam Legi non ſatisfeciſſet, capere e teſtamento non poſſet. Iam vero cum teſtatoribus illud graue accideret, a ſuis tabulis repelli eos, ad quos e ſua pecunia peruenire aliquid, quam maxime cuperent, fraudes quaerere ſolebant, quibus, ſalvis Legum verbis, ſententiam eluderent, & ad eos aliquid transmitterent, quibus Lex interdixerat. Iam in fraudem *Legis Voconiae* primum excogitata videtur tacite fideicommiſſorum ratio, vt, quoniam vetitum eſſet, *ne quis, qui cenſus eſſet heredem virginem neue mulierem faceret*, CIC. *Verr.* *I*, *41.* ſi tamen ad feminas bona ſua venire vellent, heredem facerent amicum aliquem, ſed tacite fidei eius committerent, vt reſtitueret feminae. Exemplum eſt apud CICERONEM *de Fin. II*, *17.* v. PERIZON. *Diſſ. de Leg. Vocon. p. 164.* Eadem fraude fideicommiſſorum tacitorum *Lex Cornelia* de proſcriptis eluſa reperitur apud CIC. *Verr. I*, 47. in quo fideicommiſſi taciti exemplo etiam iusiurandum intercesſit. Cum vero hanc fraudem iam quaſi in medio poſitam inueniſſent homines, non mirum eſt, ſi eadem reperiuntur, ad Legem Caducariam eludendam, vſi. Cui igitur cupiiſſent aliquid relinquere, cum is aut nihil aut certe, quantum vellent, tantum capere non poſſet, teſtamenti tabulis, alium faciebant heredem illi quidem,

dem, ſed tacite interpoſita fiducia, vt ille incapaci reſtitueret, atque redderet. Formula eſt apud CALLISTRATVM *in Lege 3. pr. h. t. Vos rogo, vt in eo, quod a vobis petii, fidem praeſtetis, perque deum, vt faciatis, rogo.* In eam rem etiam chirographa exigere ſolebant, QVINCTIL. *Inſtit. Or. IX, 2. 74. Ream tuebar,* inquit, *quae dicebatur marito ſubieciſſe teſtamentum, & dicebantur heredes marito expiranti dediſſe chirographum et verum erat. Nam quia per leges vxor inſtitui non poterat heres, id fuerat actum, vt ad eam bona per hoc tacitum fideicommiſſum peruenirent.* Id etiam docemur *L. 3. pr. h. t.* fraudem legi fieri, *quoties quis domeſtica cautione & chirographo obligaret ſe ad praeſtandum ei, qui capere non poteſt.* Itaque ex his omnibus patet, tacita fideicommiſſa eſſe ea, quae daturum ſe ei, qui capere non poteſt, in fraudem legum, in ſe fidemque ſuam recipit heres clandeſtina aliqua, ſecretaque conuentione, ſtipulatione, vel denique chirographo. Quando autem quis in tabulis teſtamenti, aut vltima voluntate ſua declaranda diſerte, atque aperte incapaci aliquid relinquit per fideicommiſſum, id *palam* relictum eſſe cenſetur. Tacita fideicommiſſa in fraudem legis fiebant. Quapropter etiam tempore, haud dubie, Veſpaſiani, *SCto Planciano* omnia eiusmodi fideicommiſſa in fraudem facta a Senatu irrita eſſe iuſſa ſunt. vid. HEINECC. *Comm. ad Leg. Pap. Popp. II, 6. p. 193.* Quod SCtum haud dubie primum fuit, quo tacita fideicommiſſa, expreſſe nominatimque coërcerentur. Neque enim auctoritati Cel. HEINECCII *Comm.*

ad

ad L. Iul. Pap. & Popp. III. 9. p. 439. ſqq. cedere poſſum, peculiare aliquod de cohibendis tacitorum fideicommiſſorum fraudibus caput Legi Iuliae & Papiae inſertum fuiſſe, ſtatuentis eam ob cauſam, quod VLPIANVS & TERENTIVS CLEMENS *L. XVIII.* CAIVS *L. XV.* & PAVLLVS *L. VII. ad Legem Papiam Poppaeam* de iis copioſiſſime diſputaſſe reperiantur. Neque enim hoc argumentum ſatis idoneam vim habere puto, propterea quod ICti ſemper in commentariis ſuis ad Leges & SCta de fraudibus Legum ſolent explicare, etiamſi illae fraudes non fuerunt nominatim expreſſae. Concedo equidem libentisſime, vti debeo, in Lege Papia etiam hoc fuiſſe comprehenſum, *ne quis ei Legi fraudem facere vellet:* quod in omnibus fere Legibus hanc clauſulam adiectam fuiſſe inuenimus. Verum tamen cum generalis iſta ſanctio etiam, ſpeciem taciti fideicommiſſi, complecteretur; non neceſſe fuit, nominatim Lege vetari, atque coërceri. Quid? quod ſi nominatim vetita fuiſſent tacita fideicommiſſa, quibus heres legatariusue incapaci reſtituere rogarentur, id profecto, vbi quis id commiſſet, nonne contra Legem feciſſet ipſam? Tantum abeſt, vt fraudem Legi inhibuiſſe, poſſit videri. Sane ſi *fraudem Legi facere putatur is, qui ſaluis verbis Legis, ſententiam eius circumuenit; contra Legem autem facit, qui id facit, quod Lex prohibet: L. 29. D. de Leg. ſi,* auctore VLPIANO, *fraus Legi fit, vbi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit: & quod diſtat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, hoc diſtat fraus ab eo, quod contra Legem fit L. 30. D. eod.* quoniam no-

tur, quod ſuperiorum temporum auaritia factitatum erat. Cumque de relegati alicujus bonis a Didio Secundo conſultus eſſet, idem reſcripſit: cuius reſcripti caput extat apud POMPONIVM in *L. 1. D. de interd. & releg.* de quo infra quaedam, inter reſcripta, disputabuntur.

Hoc eodem anno collocandum eſt, quod EDICTVM *de teſtamentis* promulgavit. PLINIVS *Paneg. c. 43. In eodem genere*, inquit, *ponendum eſt, quod teſtamenta noſtra ſecura ſunt.* Quo quidem edicto, & Imperatorum ſuperiorum improbitatem reprehendiſſe videtur, & hominum iracundorum inhumanitatem in teſtamenti tabulis ſcribendis repreſſiſſe. Illi enim tyranni intemperantiſſimi, Caius, Nero, Domitianus, cum, luxuria, perditiſſimo vitae genere, exhauſto aerario, fiſcoque, egerent, nihil non reliqui fecerunt, quin id agerent, *ne quis quidquam haberet*, quemadmodum profitetur Nero ap. SVETON. *c. 32.* ſed vt omnia omnium hominum patrimonia in ſuum fiſcum, quaſi flumina in oceanum, confluerent. Inter eas artes autem haec non erat exigua, quod ſi quis vel minima neceſſitudine ſe ſuamque gentem attingens, principe non inſtituto herede, deceſſiſſet, teſtamenta tamquam ingrata reſcindebant; ſibique hereditatem vindicabant. Caligula quidem *teſtamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii, neque illum, neque ſe, heredem reliquiſſent, vt ingrata reſcidit. Item ceterorum, vt irrita, & vana, quoscunque quis diceret herede Caeſare mori diſtinaſſe. Quo metu iniecto, cum iam & ab ignotis inter familiares, & a parentibus inter*

ter liberos palam heres nuncuparetur: deriſores vocabat, quod poſt nuncupationem viuere perſeuerarent, & multis venenatas macleas miſit. SVETON. *Calig. 38.* Nero autem inſtituit, *vt e libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dextans cogeretur ei, ſi qui ſine probabili cauſa eo nomine eſſent, quo fuiſſent vllae familiae, quas ipſe contingeret. Deinde vt ingratorum in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent: ac ne impune eſſet ſtudioſis iuris, qui ſcripſiſſent vel dictaſſent ea,* SVETON. *Neron. c. 32.* Sub Domitiano denique *confiſcabantur alieniſſimae hereditates, vel exiſtente vno, qui diceret, audiſſe ſe ex defuncto, cum viueret, heredem ſibi Caeſarem eſſe.* Quo terrore objecto homines, qui ſuis ſervare ſaltem patrimonii partem cuperent, perpulerunt, vt principem heredem adſcriberent non ſententiae ſuae, ſed timoris rationem habentes. Itaque fiebat, vt ſiue Caeſar heres ſcriptus eſſet, ſiue non eſſet, patrimonia defunctorum occuparentur: & tunc temporis noua ratio teſtamenti reſcindendi induceretur, *ingrati* in Caeſarem. Cum igitur eſſent homines, qui aut in proprium ſanguinem, aut propinquos ſuos, ſine cauſa irati, hos nollent vllo modo ad ſuam hereditatem venire, aut ſi quis falſas tabulas proferret; ſcribere ſolebant heredem Caeſarem, ſatis certo intelligentes, eas tabulas, quibus Caeſar eſſet heres inſtitutus, nulla neque inofficioſi, neque irriti aliaue querela infirmari reſcindique poſſe. Haec duo igitur mala de reip. corpore depellenda Edicto ſtatuit Traianus; cuius nobis ſententiam PLINIVS *Paneg. l. c.* ſeruauit. Vetuit itaque primum, ſi

ab amicis, aut aliqua neceſſitudine coniunctis praeteritus fuiſſet, tabulas, tamquam ingratas reſcindi, a fiſcoque occupari bona. Ita enim Plinius Traianum adloquitur: *teſtamenta noſtra ſecura ſunt; nec vnus omnium, nunc quia ſcriptus, nunc quia non ſcriptus, heres es. Scriberis ab amicis, ab ignotis praeteriris, nihilque inter priuatum & principem intereſt, niſi quod nunc a pluribus amaris: nam & plures amas.* Paullo poſt: *ceſſerit parum gratus: manent tamen ii, qui bonis eius fruantur, nihilque ex illis ad te niſi gloria redit.* Deinde & illis inofficioſis, improbis, inhumanisque teſtamentis modum poſuit, quibus, vt, quos e proximis, neceſſario inſtituendis, niſi ſumma eſſet exheredandi cauſa, ſine cauſa odiſſent defuncti, eo certius, tutiusque repellerent a tota hereditate ſua, heredem facere Caeſarem homines impii ſolerent. Vetuit enim teſtamentum inofficioſum aut improbum propterea ratum eſſe firmumque, quod ipſe eo ſcriptus eſſet heres: atque adeo voluit aduerſus ſe, non ſecus atque adverſus quemcunque priuatum, ſi heres inſtitutus fuiſſet, inofficioſi agi poſſe. Denique, falſis ſubiectisque & imperfectis, aut non iure factis teſtamentis propterea vim, auctoritatemque conſtare noluit, quod falſarius, ſubiector, aut teſtator, illegitime nuncupans, cautione callida, Caeſarem in eo adſcripſiſſet. Quod Plinius hac dictione confirmat: *Non tu falſis, non tu iniquis tabulis advocaris. Nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit: nec, quia offendit alius, nuncuparis.* Denique ſe non niſi honoris cauſa ab amicis

amicis paſſus eſt nuncupari. *Scriberis*, inquit Plinius, *ab amicis, ab ignotis praeteriris.* Jam Tiberius ea in re humanum ſe tractauit, atque bonum, *quod neque hereditatem cuiusquam adiit, niſi cum amicitia meruiſſet: ignotos autem & aliis infenſos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat.* TAC. *An. II*, 48. Exemplum Traiani deinde ſubſecutus eſt Pertinax Imp. qui *profeſſus eſt, nullius ſe aditurum hereditatem, quae aut adulatione alicuius delata eſſet, aut lite perplexa, vt legitimi heredes & neceſſarii priuarentur:* addiditque Senatusconſulto haec verba: *Sanctius eſt P. C. inopem remp. obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per diſcrimina ac dedecoris veſtigia peruenire.* JVL. CAPITOLIN. *ei. vit. c.* 7. Quam orationem Pertinacis, SCtumque in eam factum, Sacratiſſimus Imperator Juſtinianus, propter inſignem aequitatem, humanitatemque, dignam cenſuit, quam in Inſtitutionibus ſuis confirmaret, ſanciretque: Ita enim §. 8. *quib. mod. teſt. infirm. Eadem oratione* (Diui Pertinacis, quam *ſuperiori* §. laudavit), *expreſſit, non admiſſurum ſe hereditatem eius, qui litis cauſa principem reliquerit heredem: neque tabulas non legitime factas, in quibus ipſe ob eam cauſam heres inſtitutus erat, probaturum: neque ex nuda voce heredis admiſſurum, neque ex vlla ſcriptura, cui iuris auctoritas deſit, aliquid adepturum. Secundum hoc diui Seuerus & Antoninus ſaepiſſime reſcripſerunt. Licet enim*, inquivnt, *legibus ſoluti ſumus, attamen legibus viuimus.*

Anno eidem tribuendum ſine dubio eſt BENEFICIVM *eorum, qui ſe ipſi deferunt:* quod

Beneficium D. Traiani ſaepe numero dicitur. Propoſuit autem illud *Edicto L. 13. D. de iur. fiſc.* Quaeri poteſt, vtrum SCto id primum fuerit ſtatutum, quod deinde Imperator, quo maiorem vim haberet auctoritatemque, edicto promulgato ſanxerit. Id enim reperimus fuiſſe moris, vt SCta edicto Imperatorum promulgarentur et confirmarentur. v. BVRM. *Diſſ. de Vectig. P. R. c. VI. p. 85. ſqq.* Inde fit, vt, quod vno in loco *Edicto* Imperatoris conſtitutum dicitur, idem alio in loco *SCto* tributum reperiatur. Sic in *L. 1. D. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. SCto,* quod in *L. 24. §. 1. D. de reb. auct. iud. poſſ. Edicto* Marci, ſancitum dicitur. Verum vix mihi videtur hac in re prius interceſſiſſe Senatus auctoritas, propterea, quod inuenimus beneficia fuiſſe ab Imperatoribus per Edicta conceſſa: tamquam Titus Imp. omnia ſuperiorum Imperatorum beneficia vno edicto complexus confirmauit. DIO, CASS. *Lib. ſexageſimo ſexto.* SVETON. *Tit. c. 8.* quod etiam Diuus Nerua fecit Edicto illo elegantiſſimo, pulcerrimoque, quod extat in PLINII *ep. X, 66. n. 7.* Ipſum autem beneficium HEINECCIO *H. I. §. 255.* videtur fuiſſe capitulum edicti ſeueriſſimi, quo Traianus calumnias delatorum repreſſit, auctore PLINIO *Paneg. c. 34.* Neque ſane negandum eſt, fieri potuiſſe, vt vno eodemque edicto et calumnias delatorum coërceret, et beneficium hoc largiretur. Verum cum de eodem hoc beneficio duo Edicta ab eo propoſita fuerint, et Edictum de delatorum poenis ſatis grandem materiam habuerit, ego quidem a me impetrare non poſſum,

vt

vt vtrumque vno Edicto ſancitum putem. Sed quo huius beneficii conditio clarius explicetur, altius paullo rem repetendam ducimus. Lege Iulia caducaria iis, qui caduca detuliſſent, proemia conſtituta erant (*). Qua quidem re putabat Auguſtus Legi ſuae, acriora vincula addidiſſe: TAC. *Ann. III, 28. acriora ex eo*, inquit, *vincla, inditi cuſtodes*, h. e. delatores, *et Lege Papia Poppaea proemiis inducti, vt, ſi a priuilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium, populus vacantia teneret.* Proemia quanta in ea lege delatoribus propoſita fuerint, quamquam pro certo adfirmari, in tanto omnium ſcriptorum ſilentio, non poteſt: tamen mihi non eſt dubium, quin quartae fuerint, propterea quod iam antiquis temporibus quarta delatorum in vſu fuit. Colligi id poteſt e CIC. *de Inuent. II, 37.* Certe Lege Cornelia de ſicariis data ſunt proemia, *L. 25. pr. D. ad SCt. Silan.* ſine dubio quartae. Inde enim nomen *Quadruplatores* habuiſſe, dicit ASCON. PAEDIAN. *ad Cic. Diuin. in Caecil. c. 7. Delatores*, inquit, *erant criminum publicorum, in qua re partem quartam de proſcriptorum bonis, quos detulerant, conſequebantur.* Deinde diſerte *quartam* memorat TAC. *Ann. IV, 20. accuſatoribus, ſecundum neceſſitudinem Legis* datam. V. BRENCMANN. *Diſſ. de Leg. Remm. c. II. in Theſaur. Iur. Ciu. T. III.* Quae forte quarta ſub Tiberio, Caio, Claudioque aucta

(*) De Lege Iulia Caducaria ſ. capite Legis Papiae Poppaeae de caducis eleganter ſane, & erudite diſputauit HEINECCIVS Vir Cel. *in Commentar. ad Leg. Iul. Pap. & Popp. Lib. III. c. III. p.* 383. *ſqq.*

aucta videri poſſit, quod Nero proemia delatorum *ad quartas* redegiſſe dicitur apud SVETON. *Neron. c. 10.* At octaua pars conceſſa, *L. vlt. C. de delat.* quae lex quamquam in Codice noſtro non exſtat, ſententia tamen eius reperitur in *Lib. VI.* Βασιλικῶν *tit. I. c. 58.* et ex ea eſt, quod recenſet Harmenopulus *Epitom. I, 5.* Vnde graece exhibetur ea conſtitutio a CVIAC. in *Comm. ad tres poſt. lib. Cod. p. m. 37.* cf. eund. *Recitat. ſolem. ad tit. Dig. de his q. vt indig. auf p. m. 876.* Iam cum delatoribus ſpes huiusmodi oſtenſa eſſet, etiamſi nullam iuſtam cauſam ſaepe numero haberent, niſi cupiditatem ſuam; tamen humiles animae, et lucri adpetentes, non dubitarunt ad deferendum quemuis accedere. Quae quidem deferendi libido tamquam aliqua calamitas ciuitatem Romanam peruadens, fortunas ciuium domusque euertebat. TAC. *Ann. III, 25.* Igitur, quo homines inuitarentur, adlicerenturque proemio, vt mallent ſe deferre ipſi, et partem eius opimam accipere, quam ab aliis deferri, et vniuerſum perdere: Traianus edictum promulgauit, quo iis, qui ſe deferrent ipſi, dimidium ſummae condonauit. Ita enim PAVLLVS *Lib. VII. ad L. Iul. et Pap.* in *L. 13. D. de iur. fiſc. Edicto D. Traiani quod propoſui,* (Ita enim ex *Florent.* legendum, quod indicat ipſum edictum hoc libro a ſe propoſitum fuiſſe) *ſignificatur: vt, ſi quis, antequam cauſa eius ad aerarium deferatur, profeſſus eſſet, eam rem, quam poſſideret, capere ſibi non licere, ex ea partem fiſco inferret, partem ipſe retineret.* Verba edicti ipſa haec fuiſſe videntur: QVICVMQVE, ANTE-

TEQVAM CAVSA EIVS AD AERARIVM DEFERATVR, PROFESSVS FVERIT, EAM REM, QVAM POSSIDERET, CAPERE SIBI NON LICERE, EX EA PARTEM AERARIO INFERTO, PARTEM IPSE RETINETO. Ita quidem ex *L. 13. et 16. h. t.* colligere licet. Certe verba QVICVMQVE PROFESSVS FVERIT in ipſo edicto ſcripta fuiſſe indicat VLPIANVS in *Lib. XVIII. ad. L. Iul. et Pap.* in *L. 16. h. t. Ait D. Traianus: QVICVMQVE PROFESSVS FVERIT:* deinde interpretatur: *QVICVMQVE accipere debemus tam maſculum, quam feminam. Nam feminis quoque, quamuis delationibus prohibentur, tamen ex beneficio Traiani deferre ſe permiſſum eſt.* Itaque omnibus, etiam iis, quibus alioqui delatione aliorum interdictum erat, qui recenſentur in *L. 18. h. t.* veluti feminis, deferendi ſui facultas dabatur propterea, quod nullo iudicio contradicto vſus erat. *Nec non id aeque non intererit*, pergit Vlpianus, *cuius aetatis ſit is, qui ſe defert, vtrum iuſtae an pupillaris. Nam pupillis etiam conceditur deferre ſe, ex quibus non capiunt.* In quibus verbis *iuſta aetas* opponitur *pupillari*, adeoque vim habet eam, vt aetatem, quam minorem vocant, pubertatemque denotet: quemadmodum in *L. 8. D. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* cum alioqui pro aetate 25. annorum ſeu maiori capiatur. Omnibus igitur tam feminis, quam maſculis puberibus, impuberibus, hoc beneficium conceſſum fuit: modo ſe ipſi deferrent. Quod quidem

tam

tam ſeuere fuit acerbeque obſeruatum, vt etiam PAVLLVS in *L. 13. §. 8. h. t.* quod ſeruo relictum eſſet, id a domino deferri negaret oportere. Nam tametſi, cum ſeruo legatur, perſona domini inſpicitur, vtrum cum eo ſit teſtamenti factio, tamen ex perſona ſerui legatum aut conſiſtit, aut non conſiſtit, non ex domini perſona. *L. 82. §. 2. D. de legat. II.* adeoque aequum ſane, certe non iniquum eſt, dimidia parte non frui eum, ex cuius perſona legatum non ſubſiſtit, et cui honor non eſt habitus. v. GVIAC. *Recit. Soll. ad h. l. p. m. 1289.* Cum hoc beneficium iis tantum daretur, qui ſe ipſi deferrent, dubitatum fuit, an heres eius, qui, quod capere non poſſet, contra leges cepiſſet, deferre ſe poſſet. At Diui Fratres reſcripſerunt, eum ita demum ſe deferre poſſe, ſi, qui plus iuſto cepiſſet, is, cum deferre ſe vellet, ea in re morte praeuentus conſilium deſtituiſſet. *L. 13. §. 6. eod.* Neceſſe erat, vt eo animo fuiſſet. Etenim, ſi, quoniam occultari rem poſſe ſperasſet, ea de cauſa ſe deferre cunctatus fuiſſet: heres eius nihil praeter *vulgare proemium*, quod delatoribus aliorum propoſitum erat, non vero dimidiam bonorum partem capiebat ex reſcripto Hadriani *L. 13. §. 5. eod.* Profesſio autem fieri iſta debebat, antequam ab alio deferretur. Ait enim edictum: ANTEQVAM EIVS CAVSA AD AERARIVM DEFERATVR. Nam ſi praeuentus fuiſſet ab alio, quoniam occupantis eſt potior cauſa, ipſe ab delatione excludebatur. *L. 1. pr. h. t.* In quo tamen, alium iam caduca detuliſſe, non erat fraudi, ſi modo ſtatim ab aper-

tis

tis tabulis profiteretur. Huiusmodi enim profeſſionem recipi iuſſerat Antoninus, *L. 13. §. 7. h. t.* nec proemio dignam cenſuerat alterius nimis praecipitem eo in genere feſtinationem. AD AERARIVM autem defertur, quoniam caduca ad ararium pertinent, eorumque cognitio eſt praefecti aerario. Deinde profiteri oportebat ex hoc edicto, EAM REM, QVAM POSSIDERET, SIBI CAPERE NON LICERE. Itaque hoc beneficium Traiani proprie ad eos tantum pertinebat, qui, quae ad ipſos peruenire e Lege caducaria non poterant, iam poſſidebant. Cui quidem profeſſioni hoc proemium proponitur: VT PARTEM AERARIO INFERRET, PARTEM IPSE RETINERET. Nam quoniam iam poſſidebant, partem ſuam dimidiam retinere licebat. Quamquam in *L. 13. fiſci* mentio fiat, in hoc edicto proponendo, tamen non eſt dubium, quin Traianus in ſuo edicto AERARIVM poſuerit: & a manu Triboniani profecta ſit *fiſci* mentio: cum inprimis in verbis paullo antecedentibus, negligentia lapſus, *aerarii* vocabulum reliquerit. Ab Auguſto inſtitutum erat, vt *ad populum* h. e. aerarium, pertinerent caduca & vacantia. TAC. *Ann. III, 25.* atque ea ratio ſub ſequentibus Impp. fuit: de Traiani ſaeculo certe teſtatur PLINIVS *ep. II, 16. VI, 12.* Neque improbabile eſt, primum ea bona fiſco adiunxiſſe Antoninum Caracallam, ſi auctori credamus VLPIANO *fragm. XVII, 11.* Cum eius ab aetate inde ad fiſcum pertineret caducum; fragmenta ICtorum a Triboniano ad vſum ſui tempo-

ris

ris accommodata eſſe, quis eſt, quin intelligat? v. HEINECC. *Comm. ad L. Pap. Popp. III, 5. p. 401. ſq.* Verum cum hoc edicto de iis tantum ſtatuiſſet, qui, quod capere non poſſent, poſſiderent: eſſent autem, quibus, quae capere non poſſent, etiam relicta eſſent teſtamento, ſed qui non poſſiderent: alio edicto de his Imperator ſanxit. Ita enim PAVLLVS *L. 13. §. 1. h. t.* dicit: *At poſtea idem edicto ſignificauit.* Cuius edicti haec mihi forma fuiſſe videtur. QVICVMQVE PROFESSVS FVERIT, VEL PALAM VEL TACITE RELICTVM SIBI, QVOD CAPERE NON POSSIT, ET PROBAVERIT, ID IAM AD POPVLVM PERTINERE; ETIAMSI ID NON POSSIDEAT, EX EO QVOD REDACTVM ERIT A PRAEFECTIS AERARIO, PARTEM DIMIDIAM CAPITO. Ita enim colligo ex laudata §. *prima:* in qua quamquam ait ICtus: *quaecumpue profeſſa eſſet*, tamen, cum in altero edicto *L. 16. h. t. quicumque profeſſus fuerit*, ſcriptum fuerit, neque edicta, legesque & SCta ſolo ſexu ſequiore virilem comprehendere, ſed potius, maſculino, vt potiori, femininum complecti ſoleant: mihi dubitandum nullo modo viſum fuit, quin ita apud Paullum quoque legendum ſit, atque emendandum, *quicumque profeſſus eſſet*. Ex hoc igitur edicto proemium conſtituitur ei, QVI PROFESSVS FVERIT, VEL PALAM VEL TACITE RELICTVM SIBI, QVOD CAPERE NON LICEAT. Modo id latuerit fiſcum. Rei autem fiſco iam notae

delatio

delatio proemium non meretur. Ita ICtus § 3. *id autem deferri debet, quod latet, non id, quod iam fiſci eſt.* Sed altius & quaſi a capite arceſſenda ſuo fideicommiſſorum tacitorum conditio videtur. Lex Caducaria vetabat aliquid, aut non tantum, quantum optarent, ei relinquere, qui quoniam Legi non ſatisfeciſſet, capere e teſtamento non poſſet. Iam vero cum teſtatoribus illud graue accideret, a ſuis tabulis repelli eos, ad quos e ſua pecunia peruenire aliquid, quam maxime cuperent, fraudes quaerere ſolebant, quibus, ſalvis Legum verbis, ſententiam eluderent, & ad eos aliquid transmitterent, quibus Lex interdixerat. Iam in fraudem *Legis Voconiae* primum excogitata videtur tacite fideicommiſſorum ratio, vt, quoniam vetitum eſſet, *ne quis, qui cenſus eſſet heredem virginem neue mulierem faceret*, CIC. *Verr. I*, 41. ſi tamen ad feminas bona ſua venire vellent, heredem facerent amicum aliquem, ſed tacite fidei eius committerent, vt reſtitueret feminae. Exemplum eſt apud CICERONEM *de Fin. II*, 17. v. PERIZON. *Diſſ. de Leg. Vocon. p.* 164. Eadem fraude fideicommiſſorum tacitorum *Lex Cornelia* de proſcriptis eluſa reperitur apud CIC. *Verr. I*, 47. in quo fideicommiſſi taciti exemplo etiam iusiurandum interceſſit. Cum vero hanc fraudem iam quaſi in medio poſitam inueniſſent homines, non mirum eſt, ſi eadem reperiuntur, ad Legem Caducariam eludendam, vſi. Cui igitur cupiiſſent aliquid relinquere, cum is aut nihil aut certe, quantum vellent, tantum capere non poſſet, teſtamenti tabulis, alium faciebant heredem illi qui-

 dem,

dem, ſed tacite interpoſita fiducia, vt ille incapaci reſtitueret, atque redderet. Formula eſt apud CALLISTRATVM *in Lege 3. pr. h. t. Vos rogo, vt in eo, quod a vobis petii, fidem praeſtetis, perque deum, vt faciatis, rogo.* In eam rem etiam chirographa exigere ſolebant, QVINCTIL. *Inſtit. Or. IX,* 2. 74. *Ream tuebar,* inquit, *quae dicebatur marito ſubieciſſe teſtamentum, & dicebantur heredes marito expiranti dediſſe chirographum et verum erat. Nam quia per leges vxor inſtitui non poterat heres, id fuerat actum, vt ad eam bona per hoc tacitum fideicommiſſum peruenirent.* Id etiam docemur *L. 3. pr. h. t.* fraudem legi fieri, *quoties quis domeſtica cautione & chirographo obligaret ſe ad praeſtandum ei, qui capere non poteſt.* Itaque ex his omnibus patet, tacita fideicommiſſa eſſe ea, quae daturum ſe ei, qui capere non poteſt, in fraudem legum, in ſe fidemque ſuam recipit heres clandeſtina aliqua, ſecretaque conuentione, ſtipulatione, vel denique chirographo. Quando autem quis in tabulis teſtamenti, aut vltima voluntate ſua declaranda diſerte, atque aperte incapaci aliquid relinquit per fideicommiſſum, id *palam* relictum eſſe cenſetur. Tacita fideicommiſſa in fraudem legis fiebant. Quapropter etiam tempore, haud dubie, Veſpaſiani, *SCto Planciano* omnia eiusmodi fideicommiſſa in fraudem facta a Senatu irrita eſſe iuſſa ſunt. vid. HEINECC. *Comm. ad Leg. Pap. Popp. II, 6. p. 193.* Quod SCtum haud dubie primum fuit, quo tacita fideicommiſſa, expreſſe nominatimque coërcerentur. Neque enim auctoritati Cel. HEINECCII *Comm.*

ad

ad L. Iul. Pap. & Popp. III. 9. p. 439. ſqq. cedere poſſum, peculiare aliquod de cohibendis tacitorum fideicommiſſorum fraudibus caput Legi Iuliae & Papiae inſertum fuiſſe, ſtatuentis eam ob cauſam, quod VLPIANVS & TERENTIVS CLEMENS *L. XVIII.* CAIVS *L. XV.* & PAVLLVS *L. VII. ad Legem Papiam Poppaeam* de iis copioſiſſime diſputaſſe reperiantur. Neque enim hoc argumentum ſatis idoneam vim habere puto, propterea quod ICti ſemper in commentariis ſuis ad Leges & SCta de fraudibus Legum ſolent explicare, etiamſi illae fraudes non fuerunt nominatim expreſſae. Concedo equidem libentisſime, vti debeo, in Lege Papia etiam hoc fuiſſe comprehenſum, *ne quis ei Legi fraudem facere vellet:* quod in omnibus fere Legibus hanc clauſulam adiectam fuiſſe inuenimus. Verum tamen cum generalis iſta ſanctio etiam, ſpeciem taciti fideicommiſſi, complecteretur; non neceſſe fuit, nominatim Lege vetari, atque coërceri. Quid? quod ſi nominatim vetita fuiſſent tacita fideicommiſſa, quibus heres legatariusue incapaci reſtituere rogarentur, id profecto, vbi quis id commiſſet, nonne contra Legem feciſſet ipſam? Tantum abeſt, vt fraudem Legi inhibuiſſe, poſſit videri. Sane ſi *fraudem Legi facere putatur is, qui ſaluis verbis Legis, ſententiam eius circumuenit; contra Legem autem facit, qui id facit, quod Lex prohibet: L. 29. D. de Leg. ſi*, auctore VLPIANO, *fraus Legi fit, vbi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit: & quod diſtat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, hoc diſtat fraus ab eo, quod contra Legem fit L. 30. D. eod.* quoniam nomi-

 mi-

minatim Lex tacita fideicommiſſa vetuiſſet, qui iis tamen vſus eſſet, is non fraudem Legi Papiae, ſed contra eam feciſſe, erat exiſtimandus. Atqui fraudem tamen, tacite fideicommittendo, Legi adhiberi, non contra Legem fieri ICti cenſent, ſexcentis locis, veluti *L. 3. D. de iure fiſci. L. 10. de his qu. vt indig.* Porro fraudes excogitantur, adhibenturque ad Leges eludendas, quo vis earum irrita fiat & vana. In quod quidem fere ſemper ſollertia hominum male ingenioſa, latis iam Legibus, incumbit. Neque, quibus artibus atque dolis Legum ſententiam homines ſint circumuenturi, proſpicere poſſunt Legislatores, qui ſane alioqui iſta nominatim excluſuri eſſent. Quid? quod, ſi Lege Papia iſta tacita fideicommiſſa fuiſſent prohibita non videtur neceſſarium fuiſſe SCtum Plancianum: quo tacita fideicommiſſa Senatus irrita eſſe iuſſit Quod autem palam relinquitur incapaci fideicommiſſum, in eo Legi fraus inhibita eſſe non cenſetur. Itaque hoc a fiſco non eripitur, ſed pro non ſcripto eſt. *L. un. §. 3. C. de caduc. toll.* adeoque apud heredem reſidet. In codicillis, qui pro non ſcriptis habentur, delatori non eſſe locum, iisque data, *in hereditate ſubſidere*, PLIN. *ep. II, 16.* docet. Pro non ſcriptis habentur ea, quae ab initio non conſiſtunt. v. HEINECC. *Comm. ad L. Pap. Popp. L. III. c. IV. p. 389. ſq.* Contra vero, quod tacite relictum eſt, id, quia fidem ſuam heres contra Leges tacite accommodauit, ei, vt indigno, eripitur a fiſco. In ſe enim tacitam, ſecretamque teſtatoris, illicitamque voluntatem recepit, qui pollicitus ſit, ei, qui

per

per Leges capere non poſſet, redditurum ſe fideicommiſſum eſſe. Igitur, cum, quae quis palam rogatus eſt reſtituere incapaci, ea apud heredem remaneant; quomodo ſtatuere edicto ſuo Traianus potuit, vt, qui palam relicta ſibi, quae capere non poſſet, profeſſus fuiſſet, dimidiam caperet partem? Scilicet ſic tenendum eſt, eſſe quasdam ſpecies fideicommiſſorum palam relictorum, quae fiſco cedant, ſiue, quod ad fraudem legi faciendam comparata ſunt, ſiue, quoniam is, cui fideicommisſum reſtituendum fuerat, poſt mortem teſtatoris demum, ante apertas tabulas, in eum ſtatum redactus eſt, vt capere non poſſit. Ac prioris quidem generis hoc eſto exemplum. Incapaci relinquit aliquis palam fideicommiſſum certae pecuniae, quam, debere ſe illi, cum non debeat, falſo profitetur, vt ſub ſpecie debiti in fraudem Legis ad eum perueniat. In quo ſi fraudem communicauit heres, fiſco delatorique fideicommisſum patet, non ſecus, ac ſi tacite res geſta eſſet. Sin autem omnis illius fraudis ſocietate liber eſt heres atque immunis, penes eum remanet fideicommiſſum, excluſo fiſco. Ita in *L. 27. D. de probat.* & *L. 37. §. pen. D. de Legat. III.* Alterius autem generis hoc eſt: Legatarius, cui palam fideicommiſſum relictum eſt, cum teſtamenti facti tempore idoneus fuiſſet, mortuo teſtatore ante apertas tabulas, factus eſt incapax: v. c. ad peregrinitatem redactus, ſeruitute poenae adflictus: ſiue vti eſt in *L. 12. h. t.* ad metallum damnatus. In hac enim ſpecie delatori locus eſt, fiſcoque infertur fideicommiſſum, quod heres rogatus erat

reſtituere ei, qui, ab initio idoneus, mortuo demum teſtatore, ante apertas tabulas, capiendi facultate multatus eſt. Ac propterea Traianus in edicto ſcripſit: ET PROBASSET ID IAM AD POPVLVM PERTINERE: IAM nunc caducum eſſe, mutato nimirum ſtatu ſuo. v. P. FAUR. *Semeſtr. II, 13. p. 173.* POPVLVM poſui, quia, de aerario loquentes, quod populi eſt, *populum* nominare ſolent. Sic PLIN. *ep. II, 16. populum non eripere* dixit, h. e. ad aerarium non deferri cf. *IV*, 12. Si autem legatarius ab initio teſtamenti incapax fuerit, vel poſt teſtamentum demum, viuo tamen teſtatore, factus, fiſco in illud fideicommiſſum ius ac poteſtas non eſt. Sed haec ſufficient, credo, ad docendum, quae fideicommiſſa tacita fuerint, et, cur etiam quaedam palam relicta in fiſcum vindicata. Poterat profiteri quiuis, quod CAPERE NON POSSET ſibi relictum, ETIAMSI ID NON POSSIDERET. Nihil intererat, nulloque diſcrimine habebatur, qua quis cauſa impeditus capere non poſſet. *L. 13. §. 2. h. t.* v. c. ſiue coelibatus ſiue orbitas eſſet. ETIAMSI ID NON POSSIDEAT. Superiori edicto cautum erat his, qui profitebantur eam rem, quam posſiderent, capere ſibi non licere. Hoc autem Imperator idem beneficium tribuit illis, qui profiterentur vel palam vel tacite relictum ſibi, quod capere non poſſent, quodque adeo non ipſi, ſed alii poſſiderent. v. c. ſi quis heredem rogaſſet, vt ex hereditate, quam poſſidebat, certum aliquem fundum reſtitueret. Atque in hac quidem re vna eſt cauſa, qua hoc edictum

edictum ab illo differebat. Altera haec eſt, quod illo, relictum ſibi capere non poſſe ſe, profeſſi, partem dimidiam eius, quod poſſiderent, retinere, iubebantur. Neque adeo comprehenſi erant, quibus, *palam aliquid relictum*, capere non licebat, quique tempore mortui teſtatoris ad capiendum incapaces redditi eſſent, qui hoc edicto includuntur. Denique tertium diſcrimen inter vtrumque hoc eſt, quod illo, qui poſſideant, *partem retinere, partem aerario inferre* iubentur: In hoc autem cauetur, vt, *quicumque profeſſus fuerit, etiamſi id non poſſideat, EX EO, QVOD REDACTVM FVERIT A PRAEFECTIS AERARIO, PARTEM capiat.* Igitur quod relictum eſt profitenti incapaci, id redigitur a praefectis aerario totum. Cum enim alius, atque cui relictum eſſet, poſſideret, cognoſcendum erat de cauſae veritate, vtrum relictum eſſet ei, qui ſibi relictum profeſſus eſſet, an vero calumniam feciſſet. Omnis autem illa cognitio de caducis erat penes praefectos aerario. *L. 15. D. h. t.* vti de omnibus ad aerarium fiſcumque pertinentibus. Fiſci enim aerariique cura omnis praefecto aerarii erat ſubiecta. Qua propter non eſt mirabile ſane, quod PLINIVS *Pan. 92. 2.* propter multitudinem varietatemque negociorum, *maximum*, Imp. autem Traianus in *ep.* PLINII *X, 2. diſtrictum officium* vocat. *cf. X, 24.* Inprimis autem *I, 10.* Plinius deſcribit eleganter: *Diſtringor officio vt maximo, ſic moleſtiſſimo. Sedeo pro tribunali, ſubnoto libellos, conficio tabulas: ſcribo quam plurimas, ſed illiteratiſſimas litteras.* Rationes quoque ab eo erant excutiendae eorum, qui, cum caduca

poſſiderent, ea reſtituere damnati cogebantur. Igitur cauſa cognita, condemnatoque eo, qui poſſidebat, omne illud in aerarium redigendum erat. Sed quoniam ex edicto Traiani dimidia pars profitenti proemii loco erat reſtituenda, partibus duabus factis, optio illi relinquebatur, qui ſe detulerat, *L. 1. C. de his, qui ſe def.* Quod autem edicto Traianus cauerat, idem poſtea Senatus Hadriani tempore cenſuit. *L. 15. §. 3. D. h. t.* Ceterum huic Edicto clauſulam hanc ſolemnem adiectam fuiſſe, TRANSACTA FINITAVE, RATA FIRMAQVE SVNTO; ex eo colligi poteſt, quod PAVLLVS eam explicauit, atque enarrauit in *Lib. ſingulari de tacitis fideicommiſſis*, in quo de iis, quae in fraudem Legis Papiae caducariae facta eſſent, tacitis fideicommiſſis, de edicto beneficioque Traiani tractauit, vti ex *L. 49. de iur. fiſc.* ex eodem libro deſumta, adparet. PAVLLI autem explicatio nobis ſupereſt in *L. 229. D. de V. S.* Iam vero cum haec formula inprimis iis legibus atque edictis adiiceretur, quae praeteritum quoque tempus reprehenderent, quemadmodum intelligitur ex *Nouella Iuſtin. XIX. pr. L. 21. C. ad SCt. Velleian.* vt, quoniam rerum iudicatarum, vſucaptarum, &, quae iudicatis aequi parantur, transactarum, auctoritatem ſtare, reip. inprimis intereſt, ſalua ea & inconcuſſa maneat: mihi quidem vix dubium eſt, quin Edictum hoc Traiani praeteriti quoque temporis fideicommiſſa tacita, & cetera in fraudem Legis facta, reprehendiſſe atque reſcidiſſe videatur. Neque ſane reprehendendus eſt propterea Traianus aut iniqui-

tatis

tatis notandus, quod Edictum ſuum etiam in praeteritum tempus valere iuſſit. Scio, equidem, & memoria teneo, quantopere CICERO *Verr. I, 42.* Verrem iniquitatis arguat, quod Edicti ſui vim ad ante geſta retulerit: neque illud mihi ignotum eſt, quod in *L. 7. C. de Leg.* Imperatores edicunt: *Leges & conſtitutiones certum eſt futuris formam dare negociis, nec ad praeterita facta reuocari.* Sed idem ille ego quoque ſcio Ciceronem eodem loco excipere eas res, quae ſua ſponte ſceleratae ſunt, ac nefariae, vt, etiamſi lex non eſſet, magnopere vitandae fuerint. De his igitur rebus, Leges quoque ita ſancire ſolent, atque iure quodam poſſunt, vt ante facta in iudicium vocentur. Atque adeo fere in omnibus publicorum iudiciorum Legibus praeterito tempore facta ad ſupplicium, poenasque reuocantur. CIC. *pro Cluent. c. 54. Quiue in Senatu ſententiam dixit, dixerit; qui eorum coiit, coierit; conuenit, conuenerit; quiue venenum malum fecit, fecerit.* Deinde etiam in cauſis ciuilibus ac priuatis, ſi quid conſtituitur iuris, interdum de iis ita ſanciri legibus poſſe, vt, quae ante acta ſunt, rata non ſint; iidem Imperatores in *L. 7. C. de Leg. laud.* arbitrantur, ſi nominatim id in Legibus comprehenſum ſit, vt retro quoque ad ante geſta retrahantur. Quod tamen eo magis rationi conſentaneum eſt, & aequitati, ſi nihil inducatur noui iuris, quo res licitae ac bona fide geſtae reſcindantur, & ius recte quaeſitum adimatur; ſi interpretatio tantum proponatur, quae nihil noui iuris inducit, ſed, quid iam inductum ſit, oſtendit. *arg. L. 1. §. 1. D. qui teſt.*

fac. poſſ. aut ſi lex tantum ordinem formamque iudicii praeſcribat, v. SCHVLTING. *Enarrat. Part. prim. Dig. tit. de legg. & SCt. p. 40. ſq.* Ex his igitur quaſi legibus ſi Edicti Traiani hanc clauſulam iudicemus, omni, credo, ſuffragio abſolui, liberarique debebit. Quid enim? A legis Iuliae caducariae tempore inde, tacitis fideicommiſſis fraudem legi facere, nonne ſemper malum facinus fuit? nonne ſemper poenis vindicatum? At forte, quod etiam edictum ſuum ad praeteritum pertinere voluit, id nominatim non expreſſit? Immo vero haec clauſula, *transacta finitaue, vt rata firmaque maneant*, ſatis ſuperque declarat, non ſolum expreſſum illud ab eo fuiſſe, ſed etiam proſpectum hoc, ne ea re, *transacta & finita*, quorum maxima eſſe auctoritas debet, in iudicium adducerentur. Sed age, Paulli interpretationem videamus. *TRANSACTA, FINITAVE*, inquit, *intelligere debemus, non ſolum, quibus controuerſia fuit, ſed etiam, quae ſine controuerſia ſint poſſeſſa.* Fideicommiſſa tacita nimirum rata eſſe ex ea clauſula putat, ſi de iis transactum foret, ſiue inter fiduciarium, & fideicommiſſarium, cui, quod incapax erat, tacite rogatus ille fuerat reſtituere, ſiue igitur inter eos controuerſia iam incidiſſet, vtrum incapax eſſet, nec ne, atque adeo ii, ne vterque nullum emolumentum haberet, transactione interpoſita, controuerſiam terminaſſent; ſiue iudicii ſententia; ſiue denique ſine controuerſia poſſeſſa, longo tempore vſucapta eſſent. Haec enim eſſe adiungenda, ſignificat *L. 230. de V. S.* e PAVLLI *libro ſingulari ad Orſitianum* deſumta,

ſumta, vbi eandem interpretatus eſſe, comparanti *L. 1. in fin. D. ad SCt. Tertull.* ex eodem libro excerptam, cognoſcitur. v. GOEDDEVS *Comment. ad tit. D. de V. S. h. Legg.* Iam quamquam tam opima proemia propoſita Edicto Traiani erant iis, qui, relicta ſibi, ſe capere non poſſe profiterentur, tamen inueniebantur, qui poſt iſtam profeſſionem, aut accepta pecunia, & transactione interpoſita, aut per gratiam ambitionemque euocati tribus edictis, non reſponderent, quo propter ſuam, vt aiunt, contumaciam, ſecundum poſſeſſorem lis daretur. Itaque SCtum in eam rem factum eſt; quod, quoniam *L. 15. § 4. h. t.* coniungitur cum eo, quod Senatus Hadriani temporibus cenſuit § 3. haud dubie, D. Adriani temporibus attribuendum eſt. De eo autem VALENS *L. 42. §. 1. h. t.* e *Lib. V. Fideicommiſſorum: Quia autem nonnulli ingrati aduerſus beneficium D. Traiani poſt profeſſionem quoque, de tacito fideicommiſſo factam, cum poſſeſſoribus tranſigunt, atque tribus edictis euocati non reſpondent: placuit Senatui, tantum ab eo, qui id feciſſet, exigi, quantum apud aerarium ex ea cauſa, quam detulerat, remanere oporteret, ſi profeſſionem impleſſet; &, ſi poſſeſſoris quoque fraus apud praefectum conuicta fuiſſet, ab eo quoque, quod conuictus inferre debuiſſet, exigi.* Huius autem SCti haec vis eſt, eorum, qui in id incidunt, haec ſpecies. Qui, quod tacito fideicommiſſo ſibi relictum capere non poſſe ſe ſciret, ſe detulit ipſe, is poſtea, cum poſſeſſore transactione facta, deſtitit a lite, neque, tribus euocatus edictis, in iudicio reſpondit. *Ingratus* is dicitur

citur *aduerſus beneficium D. Traiani*, quia commodum poſſeſſoris praetulit proemio edicti Traianei, maluitque a lite deſiſtere, ſine illo proemio, quam poſſeſſorem condemnari. *Tranſigit* igitur cum poſſeſſore, pecunia accepta, vt litem remitteret: ſiue etiam tantum, gratiae captandae cauſa, poſtquam tribus edictis euocatus eſſet, in iudicio non adeſt, vt, quoniam delator abſit, ſententia ſecundum poſſeſſorem praeſentem pronuncietur, isque poſſeſſionem retineat. Ne tamen ſiue inconſtantiae ſuae, ſiue cupiditatis, ſiue adverſus leges ingrati animi ſui, fructus caperet; quod ſane aequiſſimum eſt, Senatus decreuit, vt tantum ab eo ex eiusque bonis, ac pecunia, exigeretur, quantum apud aerarium e cauſa delata, ſi profeſſionem litemque impleuiſſet, remanſurum fuiſſet. *Remanere* autem dicitur apud aerarium, quoniam, quod, ex edicto altero Traiani, eſt penes alium poſſeſſorem, non apud ipſum delatorem, id vniuerſum in aerarium redigitur, &, duabus partibus poſitis, dataque optione, dimidia pars reſtituitur, quam elegerit: vt ſupra docuimus. Sed in hoc ipſo negocio aut poſſeſſoris quoque fraus interceſſit, aut non interceſſit. Si fraude caret, retinet, quod poſſidebat. Sin autem, fraudis pecuniaeque eo nomine datae, conuictus ſit: ne fraus impunita maneat, lucroque cedat, omne illud, quod tacite rogatus erat reddere, ab aerario eripitur. Dicitur SCto: *exigi, quod conuictus inferre debuiſſet: conuictus* dicitur, de quo fides facta fuit, tacitam fidem accommodaſſe *L. 4. & 29. h. t.* Is autem, qui conuictus eſſet, quem-

quemadmodum vidimus, totum inferre cogebatur. Explicatis nunc & edictis ipſis & SCto in eam rem facto, age, quaeſtiones reliquas perſequemur, quibus ICti tractandis expediendisque operam dederunt. Ac primo, cum Edicto, qui ſe detuliſſet, dimidia ei pars conceſſa eſſet, quaeſitum eſt, iſto, antequam bona delata fiſco addicerentur, mortuo, an illud proemium quoque ad heredes eius perueniret. Neque videbatur ICtis proemium illud tranſire ad heredes. Sed Hadrianus reſcripſit, heredibus illud quoque deberi. *L. 13. §. 4. h. t.* Item, qui, falſo exiſtimans, capere ſe non poſſe, per errorem ſe detulit, id ei nocere non oportere, Hadrianus, & D. Pius, & Fratres reſcripſerunt. *L. 13. §. ult.* Conſequens itaque fuit, vt, quod ei fiſcus per errorem abſtuliſſet, ei reſtituendum eſſet, quod Conſtantinus M. *L. un. C. de his qui ſe def.* confirmauit. Dubitatum porro fuit, an, cum bona eius, qui, incapaci fideicommiſſum reddere tacite rogatus fuerat, fidemque roganti adcommodarat, bona publicata eſſent, an igitur ius deferendi habeat is, cui fideicommiſſum erat relictum. Et videtur hoc maxime dubium eſſe eo, quod tantum deferenda ſunt, ea, quae latent, non quae iam fiſci ſunt; *L. 13. §. 3. h. t.* Hic autem iure publicationis iam omnia iſtius bona ad fiſcum pertinent: in quibus & fideicommiſſum comprehenſum eſt. Res deducitur ad Arrianum Seuerum, aerario praefectum: cuius eam notionem eſſe, iam ſupra oſtendimus (*).

Is

(*) *Arrianus Seuerus* videtur eſſe ille, qui libros *de interdictis*, *L. 11. de hered. pet.* laudatos ſcripſit, & ſine du-

Is autem pronunciauit, nihilominus, ius poteſtatemque deferendi ex conſtitutione Traiani habere eum, cui fideicommiſſum tacite relictum fuiſſet. Neque vero iſtud decretum a ratione & iure videtur abhorrere. Nam, quamquam fiſcus iam inter bona fiduciarii publicata quoque rem fideicommiſſo tacite relictam tenet, & fideicommiſſarius, profitens ſibi relictum, defert rem, quae iam fiſci eſt: tamen, quoniam hic delator, quantum in ſe eſt, facit, vt fiſcus certiſſimo iure illud fideicommiſſum habeat, cauetque adeo, ne a fiſco tamquam licitum fideicommiſſum repetatur, cum publicatio etiam onera fideicommiſſorum omnia fiſco iniungat, dignus eſt proemio Traiani. Iam porro quod ſententiam ICti confirmari hic non lege, nec conſtitutione, ſed rerum iudicatarum auctoritate videmus, id non eſſe a iure alienum, aut ratione carere, intelligitur. Nam a rebus iudicatis recte in ſimilibus paribusue cauſis ius ducitur, ſi iuris rationi inprimis congruant. Sic PAPINIANVS in *L. 24. ad SCt. Trebellianum* re iudicata vtitur. v. CVIAC. *Recitat. Solenn. p. m.* 1317. Ad hunc de tacitis fideicommiſſis locum beneficiumque ea de re Traiani pertinet PAVLLI quoque fragmentum in *L. 49. D. h. t.* e *libro ſingulari de tacitis fideicommiſſis* decerptum. Ait ICtus: *Cum tacitum fideicommiſſum is, cui datum erat, capere ſe nihil poſſe detuliſſet, in quaeſtionem*

bitatione Traiani ſaeculo vixit: non diverſus forte ab illo, ad quem epiſtolae ſunt PLINII *I*, 2. *II*, 12. *IV*, 8. Certe hunc Arrianum praefectum aerario ICtum fuiſſe, probabile eſt eo, quod eius decretum a Valente ICto, tamquam iuri ac legibus conſentaneum adprobatur.

nem venit, dodrantis an totius aſſis partem dimidiam ex beneficio D. Traiani recipere debeat. Cuius quidem quaeſtionis haec ſpecies eſt: Heres rogatus non capienti tacitum fideicommiſſum reddere fidem ſuam precibus voluntatibusque teſtatoris adiunxerat, reſtitueratque incapaci, detracta Quarta Falcidia, quam hodie Intt. vocant *Trebellianicam*, dodrantem, hoc eſt, totius aſſis vel hereditatis tres tertias partes. Fideicommiſſarius incapax ad praefectum aerario, ſe capere non poſſe, detulit. Dignus eſt beneficio D. Traiani; & hoc ſine controverſia debetur. Diſceptatur tantum, quo modo illud dimidiae partis proemium putandum ſit: vtrum dodrantis tantum, quae, deducta quarta, fideicommiſſi reſtituendi ſumma eſt, an totius aſſis, partem dimidiam debeat conſequi. Certum hoc erat, indubitatumque, quod heres fraudem adhibuiſſet Legi, fidemque tacite ſuam accommodaſſet, quartam apud eum remanere non oportere. Igitur Imperator Antoninus reſcripſit in haec verba: *IMPERATOR* (*) *ANTONINVS IVLIO RVFO:* (**) *Qui tacitam fidem accommodauit, vt non capienti reſtitueret hereditatem, ſi deducta parte quarta reſtituit, nihil retinere debet.*

(*) *ANTONINVS* Imp. hic eſt *D. Pius*, vt intelligitur ex *L.* 59. *D. ad L. Falcid.* vbi idem reſcriptum laudatur: non *Antoninus Caracalla.*

(**) *IVLIO RVFO* inſcripta fuit haec epiſtola. Fuit is haud dubie Praefectus aerario ſub D. Pio, quem de quaeſtione incidente & ad ſuum tribunal pertinente conſuluerat. *Iulium Rufum* hominem nobilem occidit Imp. Seuerus. SPARTIAN. *vit. Seuer.* c. 13. Sed forte ille huius noſtri filius fuit.

debet. Quadrans autem, qui heredi imponitur ipſius, eripiatur, & ad fiſcum transferatur. Vnde dodrantis ſolum ſemiſſem capit, qui ſe detulit. Quo reſcripto Imperator confirmat *SCtum Planctianum*, quo ſtatuebatur aduerſus eos, qui tacite fidem dediſſent, ſe minus idoneo reſtituros, vt quarta fideisommisſi apud eos ne remaneret, VLPIAN. *fragm. XXVI, 17. L. 59. D. ad L. Falcid. L. 25. de his q. vt ind. aufer.* Conſtituit enim Imp. ne quarta illa iam deducta apud eum, qui tacito fideicommiſſo ſe obligarat, reſideat. Deinde quartam heredi ereptam in fiſcum vindicandam cenſet. Hic, inquit, teneo te. Mutat ergo, non confirmat, Imperator SCtum Plancianum; hoc enim quartam auferebat illud quidem, ſed ad legatarios ceteros transferebat tamen: at Imperator hic fiſco quartam iſtam inferri iubet. Quomodo igitur inconſtantiae crimen effugiemus? An mutata damnataque forte ſententia, ibimus in alia omnia? Immo vero, eam retineo, atque conſtanter defendo: & tamen exiſtimo, perpetuitatem me conſtantiamque tuiturum eſſe; modo ſi ſpeciem facti in reſcripto D. Pii diligenter conſiderauerimus; de qua Imperatorem Iulius Rufus conſuluit. Sic autem habet: Ex aſſe, nullis legatis onerato, ſcriptus heres rogatus reſtituere incapaci omnem hereditatem, quarta ſua deducta, dodrantem reddiderat. Quo facto ſe iſte fideicommiſſarius defert. Quaeritur nunc, cum quartam ille retinere non poſſit, nec legatarii adſint, ad quos quarta iſta veniat: an forte adeo, pro proemio delationis, totius aſſis dimidiam

diam debeat recipere. Neque, ſi legatarii extitiſſent alii, ad quos quarta e SCto poſſet pertinere, haec quaeſtio oriri potuiſſet. Itaque manet hoc, non fuiſſe alios legatarios: atque adeo Imperatorem, ſalvo SCto, reſcribere potuiſſe hoc, vt, quoniam ad nullum alium peruenire poterat, quarta, fiduciario heredi erepta, fiſco cederet: neque delatori ſui ipſius plus ſemiſſe ſeu dimidia parte dodrantis, pro proemio, daretur. Atque illud quidem merito, propterea quod proemium iſtud datur ex eo, quod quis defert, ſe capere non poſſe, relictum ſibi fideicommiſſo. Iam vero, cum ſemper quarta retineatur, non plus in fideicommiſſo eſt, quam dodrans; neque adeo plus dimidia parte dodrantis debetur. At IACOBVS CVIACIVS, quantus vir! qui ſui temporis Iureconſultorum litteratisſimus, & litteratorum Iuriſconſultisſimus extitit, cuique omnis Conſultorum chorus adſurgere merito ſuo debet, qui vel ſola propemodum auctoritate ſua me frangeret, putat ille quidem hoc reſcripto D. Pii derogatum fuiſſe SCto Planciano. Verum tamen rationes meae me perpulerunt, vt auderem a tanto viro dicesſionem facere. Reſcriptum enim, quamquam magnae auctoritatis eſſe, magnique in iure ad res iudicandas momenti, ſcio; tamen neque illud ignoro, tantummodo ad cauſas & facta propoſita pertinuiſſe, neque facile alicui generali Legi, cuius vim habet SCtum, derogare, aut exrogare, vel potuiſſe vel conſueuiſſe. V. SCHVLTING. *Diſſ. pro Reſcriptis principum. n. 4.* cf. HERM. NOORDKERKIVS *Obſ. c. V. p. 99.* Igitur per hoc reſcriptum non videtur SCto Planciano vim ſuam detrahere aut voluiſſe

E luiſſe

luiſſe D. Pius, aut potuiſſe: cum neque iudices in aliis cauſis, neque ICtos obſtringerent reſcripta. Profligata, vt quidem videmur, ſententia Cuiacii, vnum relictum nobis eſt certamen, opinio HEINECCII, qui, in *Comm. ad L. Iul. & Pap. Popp. II, 6. p. 193.* hoc SCtum Plancianum a D. Pio per reſcriptum, exiſtimat, illuſtratum eſſe eatenus, vt quarta heredi fiduciario erepta, non in aerarium, ſed fiſcum principis, deferretur. In quo primum contra hiſtoriam, moreſque Antonini Marci videtur offendere, qui delationes omnes, quibus fiſcus augeretur, contemſit, CAPITOLIN. *Marc. c. 12.* et, ſi quem proſcribere cogeretur, bona eius non in fiſcum, ſed publico aerario inferri voluit VOLCAT. GALLIC. in *Auid. Caſſ. 7. 8. 12.* Deinde mihi videtur parum conſtanter diſputare, qui, cum tradat *p. 401.* ab Antonino Caracalla caduca in fiſcum redigi coepta eſſe, nunc ad Antonium Pium idem referre videatur. Verum eſt ſine dubio hoc, Antonini Caracallae demum cupiditati tribuendum eſſe illud, vt, ab aerario, caduca transferrentur ad fiſcum principis: qui quam cupidus fuerit, augendi fiſci, ſatis conſtat, qui et pro Viceſima Hereditatium Manumiſſorumque Decimam inſtituerit, et, quo plures viceſimae hereditatium obnoxii eſſent, omnibus in imperio Romano ciuitatem tribuerit, auctore DIONE CASSIO in *Excerptis Peireſcian. Lib. ſeptuageſimo ſeptimo p. 745.* de quo vid. SPANHEM. *Orb. Rom. II, 9. ſqq. de Vtil. & Praeſt. Numiſm. Diſſ. XIII. p. 583. ſqq. T. II.* cf. BVRMANN. *de Vectigal. P. R. c. XI.* Verum locupletiſſimum auctorem habemus, qui tradat, fiſco caduca addicta

fuiſſe

fuiſſe a Caracalla, VLPIANVM *fragm. XVIII, 1. Hodie*, inquit, *ex conſtitutione Imperatoris Antonini omnia caduca fiſco vindicantur*. Caracallam autem intelligendum eſſe, quando ſimpliciter Antoninum commemoret Vlpianus, docent viri paullo ante laudati. *cf.* SCHVLTING. *πρωτ. p. 69.* Ex quibus fit, vt ab Antonino Pio hactenus nouatum eſſe non poſſit SCtum Plancianum, vt quarta fiduciario extorta in fiſcum redigeretur. Quibus ego rebus, hic quoque, loco *aerarii*, Tribonianum reſcripſiſſe *fiſcum* exiſtimo. Atque ita videmus, qui fideicommiſſum tacitum in fidem ſuam recepiſſent, fraudemque adeo aduerſus Legem feciſſent, eos fideicommiſſi quartam retinere non potuiſſe, propterea, quod indigni cenſerentur, qui ex hereditate aliquid caperent. Neque enim in eorum numero non cenſentur, quibus vt indignis auferuntur. Iam quaerebatur, ſi tacitum fideicommiſſum relictum ſit eis, qui non incapaces ſolum, ſed etiam ex alia cauſa indigni, ſunt, hique ſe deferant, capere non poſſe, vtrum iis beneficium D. Traiani tribuendum eſſe videatur. Cum enim edictum Traiani proemium iis propoſuerit, qui ſibi relictum capere non poſſe detuliſſent, hi autem non minus nihil poſſint capere, dubitatio ſane non iniuſta fuit. Verum hi omnes auctore PAVLO *L. 1. de iur. fiſc. L. 5. §. 10. De de his q. vt indign. aufer.* (cf. *L. 13. §. 9. de iur. fiſc.*) *qui vt indigni repelluntur, ſummouendi ſunt a proemio, quod ſecundum Edictum D. Traiani datur his, qui ſe deferunt*. Hanc autem Legis eſſe ſpeciem, quam poſuimus, vt nempe, qui capere non poſſint, & ſimul indigni ſint, tacitum ſibi fideicom-

miſſum relictum deferentes proemio non adficiantur; id facile vnicuique adparebit. Nam indigni ſi ſolummodo fuiſſent, de iis ne dubitari quidem poterat. Edictum enim Traiani de iis cauit, qui capere non poſſent: *Indigni* capere poſſunt; ſed, quoniam indigni ſunt, non retinent. Itaque Edictum in eos plane non conueniebat. Ac propterea indignis ab aerario, aut fiſco deinde, *eripi* dicuntur, quoniam iis iam delata fuere; ipſa autem bona *ereptitia:* V. HEINECC. *Comment. ad L. Pap. Popp. III, 7.* cf. WIELING *Lect. Iur. Ciu. I, 20.* Huic noſtrae Legi videtur aduerſari *L. 1. cod.* in qua, qui teſtamento patroni legatum fideique commiſſum acceperat libertus, cum patronum poſt mortem, illicitarum mercium negociationem feciſſe, detuliſſet; e Reſcripto Seueri & Antonini Impp. quaſi indignus carere legato, & fideicommiſſo, cogi ille quidem, ſed proemium tamen meruiſſe dicitur. Verum omnis illa pugna facili dirimi negocio, tollique poteſt. Etenim *Lex 5. §. 20. h. t.* de eo tractat, cui, cum incapax eſſet, & ſimul indignus, tacitum fideicommiſſum relictum eſſet. Hic quoniam indignus eſt, amittit legatum, atque adeo, quoniam proemium pars eſt legati, ipſo quoque proemio excluditur. At in *L. 1. cod.* non detulit ſe, vt ille; capere enim poterat; ſed patronum: & adeo proemium non eſt pars legati, ſed pars mercium illicitarum, quas detulit. Itaque tametſi libertus, ea patroni poſt mortem delatione, indignum ſe legato ab ipſo relicto reddiderat, tamen non indignus delationis proemio iudicatur. V. CVIAC.

Reci-

Recitat. Solemn. p. m. 876. Qui tacite fidem adcommodauerat ſuam, quemadmodum ſupra vidimus, multabatur fideicommiſſi Quarta. At quaeritur, an hic fiduciarius beneficio Traiani vti potuerit, vt, ſi, antequam cauſa ad aerarium denunciata fuiſſet, ſe detuliſſet, proemium conſequeretur. Equidem, quamquam nullum ea de re inueni in fragmentis ICtorum locum; tamen ex iis, quae ſupra diſputata ſunt, facile puto eſſe ad oſtendendum, aditum ad hoc beneficium ipſi non patuiſſe. Nam quoniam indignus erat, qui fraudem in Leges ſuſcepiſſet; quarta, quam capere alioqui poterat, ei eripiebatur. Deinde, quod maximum eſt: beneficium Traiani, ad eos tantum pertinebat, qui capere non poterant ex Lege: at hic fiduciarius poterat: non erat incapax. Itaque Edicto non comprehenditur. At quoniam tamen fideicommiſſa tacita manebant saepenumero occulta, quod, quibus relicta erant, totum dodrantem, quam eius ſemiſſem, malebant auferre: proemio videbantur quoque adliciendi ii, qui fidem dederant, ſe incapacibus reſtituturos. Fecit id Conſtantinus M. qui *in L. un. C. de his qui ſe def.* heredi fiduciario, qui tacite rogatus fidem teſtatori addixerat ſuam, ſi, ſe id feciſſe, profeſſus fuiſſet, tertiam partem, proemii loco, *omnium bonorum* conſtituit.

EDICTVM Traiani *de libertis, ciuitatem Romanam ignorante vel inuito patrono conſecutis:* Quo anno propoſitum fuerit, non poteſt liquido explicari. Ante legationem Plinii h. e. ante a. Chr. 103. quo ea, vti putat MASSON. *vit. Plin. p. 69. ſqq.* facta eſt, promulgatum fuiſſe, certum eſt,

quod, quando quibusdam *ciuitatem Romanam* petit, aut *ius Quiritium*, ſemper addit *petente patrono*. v. c. *X. ep.* 4. Has autem epiſtolas a Plinio prouinciam adminiſtrante ſcriptas eſſe, ſatis probabile eſt. v. MASSON. *vit. Plin. p.* 85. *ſq.* Hoc igitur Edictum, ſine dubio ad eundem annum pertinet, quo vetuit Imperator ſeruos libertosue contra patronos ac dominos audiri. h. e. ad *a. Chr.* 100. inprimis cum MARTIAL. *L. X. epigr.* 34. generaliter dicat de Traiano:

Qui ſua reſtituis ſpoliato iura patrono.

Edictum illud fuiſſe certum eſt eo, quod Iuſtinianus in *L. un.* §. 1. *&* *vlt. C. de Lat. Libert. toll.* & *Inſtitut. III,* 8. *de ſucceſſ. libertor.* §. 4. hoc nomen diſerte ei attribuit. Sententiam autem eius inuenimus in *Inſtit. l. c.* huiusmodi fuiſſe: vt *eundem hominem, ſi inuito vel ignorante patrono, ad ciuitatem Rom. venire ex beneficio principis feſtinarat, fieri quidem viuum ciuem Rom. Latinum vero morientem,* iuberet. Intelligitur ſua ſponte, de iis tantum cautum fuiſſe, qui, minus ſolenniter manumiſſi, Latini tantum effecti eſſent e Lege *Iunia Norbana.* Nam qui iuſta ratione, ſolennique ritu manumitterentur, eos iuſtam Libertatem h. e. & libertatem & ciuitatem Rom. optima Lege, ſ. ius Quiritium, conſecutos eſſe, in vulgus notum eſt. Nolo equidem omnes illas res perſequi, quibus Latinitas a iure Quiritium differebat: de quibus, qui velit plura cognoſcere, adeat *Ill.* SPANHEM. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 1 Hoc tamen neceſſarium erit, hic perſtringere, Latinos libertos, ſ. Iunianos teſtamenti factione vſos non fuiſſe: Viuebant, vt

liberi,

liberi, at vt ſerui moriebantur. Ex quo efficiebatur hoc, vt patronis ius eſſet ſuccedendi in bona Latinorum Iunianorum, de quibus hi teſtamento conſtituere nihil poſſent. Magnae igitur fraudi erat patronis, ſi quis eiusmodi libertus beneficio principis ad ius ciuitatis, ſ. iura Quiritium, adſpiraſſet: id, quod ſaepenumero impetrare, inuitis, vel ignorantibus patronis, ne impedimento eſſent hi, ſolebant. Inprimis videtur haec patronis fraus facta fuiſſe ſub malis principibus, in quorum ſe gratiam inſinuabant. Neque vero, qui ciuis Romanus eſſet, ei, niſi ipſe auctor factus eſſet, ciuitas adimi poterat, aut extorqueri. CIC. *pro Balb. c.* 12. Cui malo vt occurreret Imp. Traianus, cauit edicto, vt, SI QVIS INVITO VEL IGNORANTE PATRONO AD CIVITATEM ROM. PERVENIRE EX BENEFICIO PRINCIPIS FESTINASSET, EVNDEM HOMINEM VIVVM QVIDEM fieri CIVEM ROMANVM, LATINVM VERO MORIENTEM oporteret. Primo igitur edictum eo pertinebat, INVITO VEL IGNORANTE, neque conſulto neque conſentiente patrono, ſi quis, ſi qua, libertus Latinus Iunianus, libertaue, ius ciuitatis impetraſſet BENEFICIO PRINCIPIS: Nam qui alio modo legitimo, ad ciuitatem perueniſſent, beneficio legum, atque edictorum, non principis reſcripto, atque conceſſione, v. c. ſi quis naue X. mille modiorum frumentum Romam aduexiſſet, SVET. *Claud. c.* 19. ſi aedificium Romae conſtruxiſſet, VLPIAN. *fragm. III,* 2. *ſq.* aut ſi ipſe patronus deinde libertatem *vindicta* confirmari curaſſet, PLIN. *ep. VII.* 16.

16. ſi vxorem duxiſſet, teſtatione interpoſita, quaerendorum liberorum id ſe facere, ex eoque coniugio natus eſſet filius: & i. g. a. Si quis igitur tali modo aliquo legitimo Ius Ciuitatis conſecutus eſſet; is Edicto Traiani comprehenſus non fuit: BENEFICIO PRINCIPIS conſecuti tantum in edictum incidebant. Neque ii, qui, conſenſu patronorum adhibito, a principe ciuitatem Rom. impetrasſent, in edicto includuntur. Cum enim patronos ab iniuria ac detrimento ſaluos praeſtare animus eſſet Traiano; volenti autem conſentientique non fiat iniuria: quid erat, quod de hoc genere cauere attineret? Additur enim INVITO VEL IGNORANTE PATRONO. Quare PLINIVS *ep.* ad Principem, quibus ciuitatem aut ius Quiritium petit, hanc clauſulam adiicit, *petente patrono X*, 4. ſe id rogare: aut docet ſibi ius libertorum Latinorum a moriente patrono relictum fuiſſe *X*, 104. Cui igitur princeps ius ciuitatis, nolente, & inſcio patrono, dediſſet, Traianus edicto, EVNDEM HOMINEM, iuſſit, eſſe quidem VIVVM CIVEM ROM. ſed MORIENTEM LATINVM: EVNDEM HOMINEM, h. e. libertum libertamue; nam *homo* vtrumque ſexum complectitur. Neque mihi dubium eſt, quin vocabulum *homo* in ipſo edicto expreſſum fuerit. Atque illud quidem, quod viuum eſſe ciuem Rom. patitur, fecit, ne aut ſuum, aut alterius principis beneficium reſcinderet, & irritum faceret, cum inprimis, vt iam dixi, ciuitas adimi, niſi qui auctor eſſet, nemini poſſet: hoc autem, quod morien-

morientem eſſe Latinum voluit; quo ſalua iura ſucceſſionis in bona eorum libertorum eſſent patronis, quorum praecipue commodis proſpectum eſſe cautumque Imperator volebat. Quae res parum abeſt, quin me in eam opinionem adducat, vt, hoc Edictum etiam ad praeteritum tempus pertinuiſſe credam: inprimis cum illa ciuitatis R. impetratio ſine patroni ſcientia atque conſenſu ſit fraudulenta, & ſua ſponte inhoneſta. Hoc edictum Iuſtinianus conſtitutione ſua ſuſtulit: Atque in *Inſtit. l. c.* quidem ait: *Sed noſtra conſtitutione propter huiusmodi conditionum vices & alias difficultates, cum ipſis Latinis, etiam Legem Iuniam & SCtum Largianum, & edictum D. Traiani in perpetuum deleri cenſuimus, vt omnes liberti ciuitate Rom. fruantur, & mirabili modo quibusdam adiectionibus ipſas vias, qui in Latinitatem ducebant, ad ciuitatem Rom. capiendam tranſpoſuimus.* Ipſa autem conſtitutio Iuſtiniani eſt in *L. un. Cod. de Lat. libert. toll.*

Eodem anno eſt proſcriptum ab eo EDICTVM, *ne domini patroniue libertis ſeruiſue accuſantibus in exilium mitterentur.* Eius mentionem infert PLINIVS *Paneg. c.* 42. elegantisſime: *Omnes accuſatore domeſtico liberaſti, vnoque ſalutis publicae ſigno illud, vt ſic dixerim, ſervile bellum ſuſtuliſti: in quo non minus ſeruis, quam dominis praeſtitiſti; hos enim ſecuros, illos bonos feciſti.* Apertius autem ſententiam edicti declarat MARTIAL. *Epigr. X, 34.*

Di tibi dent quicquid, Traiane, mereris,
Qui ſua reſtituis ſpoliato iura Patrono;
Libertis exul non erit ille ſuis.

Inprimis ſub malis illis principibus, quorum ingenium, & poteſtas non in iuuandis ciuium commodis, ſed infligendis calamitatibus, non in tuendo genere humano, ſed perdendo, conſumebatur, ſub iis igitur hoc malum ciuitatem inuaſerat, vt liberti ſeruique patronos ſuos dominosue capitis accuſarent ſaepenumero, & condemnarent. Quis neſcit, quam capitale fuerit ſeruorum odium in dominos ſuos, quam exitioſum, vt haec opinio apud omnes peruageretur, *quot ſeruos, tot hoſtes eſſe*. Verum eſt illud quidem, ſaeuitia dominorum ſaepe animos ſeruorum commotos fuiſſe, vt ad eam vim, deſperationemque decurrerent? quale exemplum eſt apud PLINIVM *ep. III, 14*. Verum tamen malitia ſaepius, improbitasque ſeruilium ingeniorum propter laborum impatientiam, etiam in bonos dominos graſſata reperitur. Liberti autem neque ipſi patronis admodum bene cupiebant, propterea quod operas praeſtari patronis oporteret, quas interdum valde graues, atque difficiles, conſequendae libertatis cauſa, iurauerant. Itaque & ſerui, & liberti magis ad fiſcum, cui tantum praeſtari non deberet, pertinere, quam ad priuatos, cupiebant. Quod, vt conſequi poſſent, commodum ſane accidebat, peſſimorum principum ingenium, qui, ad fiſcum, immenſo luxu, profuſionibusque immanibus exhauſtum, iterum explendum locupletandumque, maieſtatis inueniſſent crimen, ſolum atque vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent. In quo quidem facile erat condemnari, quod leuia dicta, in principem, aut facta exigua, in Maie-

ſtatis

ſtatis legem inciderent; vt, bonis eorum publicatis, & in fiſcum redactis, principis auaritia & cupiditas expleretur: quemadmodum ſupra docuimus. Atque ita magnus ſane campus ſeruitiis libertinisque patebat, in quem malitiam, & odium ſuum excurrere & euagari ſinerent: opportuna occaſio praebebatur, qua liberti, & ſerui ę dominorum patronorumque poteſtate exire poſſent. Bonis enim in publicum redactis, & ipſi ad populum pertinere, aut potius ad principem, incipiebant. Quae quidem reip. labes iam D. Neruam Imp. impulerat, vt vincula iſti licentiae iniicienda putaret eſſe: Is enim, auctore DIONE CASS. *Lib. LXVIII. p.* 769. τȣ̀ς τε δȣ́λȣς καὶ τȣ̀ς ἐξελευθέρȣς τȣ̀ς τοῖς δεσπόταις σφῶν ἐπιβȣλεύσαντας, πάντας ἀπέκτεινε, καὶ τοῖς μὲν τοιȣ́τοις ȣ̓δ' ἄλλο τι ἔγκλημα ἐπιφέρειν ἐπὶ τȣ̀ς δεσπότας ἐφῆκε cet. *ſeruos & libertos, qui dominis ſuis inſidias ſtruxiſſent, interfici iuſſit, neque his vllum crimen in dominos deferre permiſit.* Quod adeo Traianus, quemadmodum cetera Neruae inſtituta ſalubria reip. repetiit, cum forte nec dum ſatis ſecuritati dominorum patronorumque proſpectum videretur, niſi & ipſe denuo ſeuera lege idem ſanxiſſet. Poſtea id exemplum ſecuti ſunt Imperatores: tamquam Pertinax, qui, vt CAPITOLINVS in *vit. ej. c.* 9. tradit, *eos, qui adpetiti calumniis per ſeruos fuerant, damnatis delatoribus ſeruis liberauit, in crucem ſublatis talibus ſeruis.* Neque aliter D. Seuerus conſtituit. *L.* 2. *§.* 6. *D. de iur. fiſc.* Neque refert, ſerui vera deferant, necne *L.* 6. *& vlt. C. de delat.* In quo tamen excepta

cepta eſt cauſa Maieſtatis, de qua, ſi vera in iudicium attuliſſent ſerui aduerſus dominos ſuos, poenae obnoxios eſſe noluit Imp. in *L. 6.* et *vlt. C. de his qui accuſ. non poſſ.* Sed ne hanc quidem cauſam excepiſſe videtur Traianus Imp. qui *omnem Maieſtatis metum penitus ſuſtulerit*, auctore PLINIO *Paneg. c. 42.* laud: quo facto *reddita eſt*, inquit, *amicis fides, liberis pietas, obſequium ſeruis: verentur & parent & dominos habent.* Idque ipſius animo maxime conuenit, cui *propoſitum* eſſet, vt ipſe Plinio reſcribit X, 87. *non ex metu, nec terrore hominum, aut criminibus maieſtatis, reuerentiam nomini ſuo adquiri.* In quo auctoritatem praebuiſſe videtur & Pertinaci, qui quaeſtionem maieſtatis penitus *tulit*, *cum iureiurando*: CAPITOLIN. *c. 6* & Tacito Imp. qui *ne in cauſis quidem maieſtatis ſeruos interrogari permiſit in dominorum caput.* VOPISC. *ej. vit. c. 9. p. 606. ed. Hack. T. II. Script. Hiſt. Aug.* Quae ſeruorum accuſationes a Traiano, & eius exemplum ſequentibus Impp. ſumma ratione, & e Rom. Legibus, repreſſae & cohibitae ſunt. Etenim moribus ſiue Legibus Rom. dudum vſurpatum hoc ius erat, ne de ſeruis in dominorum caput quaereretur TAC. *An. II, 30.* CIC. *pro Milon. c. 22.* quia videbatur indignum & domino morte ipſa triſtius. Quanto minus ſeruis deferendi aut accuſandi facultas dari poterat, cum ne liceret quidem quaeſtionem de iis haberi, ſi iam domini eſſent accuſati ab alio, & alicuius criminis rei facti, quod factum eſſe vulgo conſtaret? Nam ſi indignum eſt, ſeruos in caput domini interrogari, quam acerbum eſſe debet, dominos ab

iisdem

iiſdem criminis poſtulari? Si morte ipſa triſtius, quaeſtionem de ſeruis in dominos haberi, quam miſerum, quam funeſtum haberi oportet, dominos ſeruili accuſatione condemnari?

EDICTVM ſalubre & graue *de delatoribus*, reſtat adhuc, vt hoc ſub anno paucis declaremus. In quo non attinet multis nunc rationibus vti, vt huic id tempori adſeratur; cum ſupra oſtenderimus, quare haec Traiani inſtituta ad Conſulatum ipſius tertium reuocauerimus. *Delatores* autem, vocabulo ſub Impp. demum reperto, adpellabantur cum ii, qui crimina publica in iudicium vocabant, *accuſatores* in libera rep. dicti, tum hi, qui ad aerarium fiſcumque nunciarent, ſi quid contra Leges caducarias admiſſum eſſet. Iam diximus criminum publ. accuſatores in libera rep. extitiſſe. Neque enim aliter fieri poterat in ciuitate Rom. cum, quod nemini dubium eſſe poteſt, qui Ciceronem vel primoribus, vt aiunt, labris deguſtauerit, cum igitur nemo damnari ſupplicioque commerito adfici poſſet, quamuis nocentiſſimus, ſi accuſator defuiſſet. Nondum repertum hoc erat, vt, crimine delictoque aliquo perpetrato, magiſtratus *ex officio*, vt aiunt, de ſcelere quaererent, inueſtigarique nocentes iuberent. Conſtat, quam ſaepe perniencioſiſſime in Leges criminum publicorum, quibus ſecuritas publ. & ſtatus reip. contineretur, homines nobiles tum in magiſtratibus vrbanis, tum in prouincialibus, commiſerint, & quanta in vita priuata potentes ac locupletes crimina aduerſus remp. perpetrarint. Quos cum iudiciis condemnari publice intereſſet,

& cu-

& cuiuis etiam ad accuſandum accedere liceret; quoniam magna apud populum gratia, & via ad honores; lausque eloquentiae, propoſita erat, nobiles inprimis adoleſcentes, honores aliquando petituri, eos reos ſibi deligebant, e quorum condemnatione creſcerent. Itaque inuenimus, Caeſarem, Ciceronem, Dolabellam & ſexcentes alios eam rationem iniiſſe, vt reos potentes atque nocentiſſimos in iudicium adducerent. Interdum etiam his accuſationibus proemia Legibus publicis conſtituta erant, quibus inuitarentur accuſatores, tamquam *Lege Pompeia de ambitu* propoſitum erat hoc, ſi quis magiſtratum deſignatum ambitus condemnaſſet, vt eum magiſtratum conſequeretur ipſe. DIO. CASS. *Lib. XXXVI. p. 48. XL. p. 145.* Apud nobiles vero adoleſcentes quid prius, quid antiquius eſſe poterat, quam gloria, quam gratia popularis, quam accuſando potentiſſimo aliquo reo colligerent? At ea ratio non valebat, ſi quis ſordidae conditionis homo, plebeiae ſortis, reus criminis publ. nomine teneretur? Quis nobilis laudem & gloriam ex eiusmodi accuſatione aucuparetur? Vtrum igitur huiusmodi nocentes impune flagitia ac ſcelera ſua ferrent? quod tamen reip. inutile foret ac pernicioſum. Immo vero proemia pecuniaria propoſita erant eo nomine, quae adlicerent eos accuſatores, qui pecuniam & quaeſtum, non laudem & gloriam, adamaſſent. Itaque *quarta* bonorum, ſi ſectio, publicatione bonorum locum habuiſſet, pro proemio accuſationis conceſſa videtur: quoniam inde *quadruplatores* dictos fuiſſe ex ASCONIO

PAE-

PAEDIANO ſupra obſeruauimus. Vbi vero rei in bonis nihil haberent, neque ſectionis vſus eſſet, ex aerario aliquid proemii nomine erogatum, colligi poteſt e CIC. *de Inv. II, 37. Roſc. Am. c. 19.* Certe Lex Cornelia in Crimine de ſicariis id conſtituit. *L. 25. D. ad SCt. Silan.* Quae res faciebat, vt, quoniam inprimis humiles animae quaeſtum concupiiſſent, ſtudioſe accuſationes factitarent, & ſiue nocentes ſiue innocentes in iudicium vocarent. Quod CICERO inprimis de *Bruto accuſatore* multis in locis commemorat, eumque *turpiſſimum calumniae quaeſtum* vocat *de Or. II, 55.* cf. ASCON. PAEDIAN. in *Cic. Orat. pro M. Scauro verſ. A. nouiſſ.* Eadem ratio in publ. criminibus etiam ſub Impp. fuit, vt accuſatores, condemnato reo, proemium conſequi ſe, ſcientes, quaeſtus illius cauſa calumnias certatim in homines innocentes coniicerent. Quae cupiditas Imperatorum improbitate eo magis accenſa fuit, quos, ſcirent, vehementer cupere, vt nobiles ac potentes homines, antiquarum ſplendidarumque familiarum ſtirpes, euerterentur, ne inde amplius timendum ſibi eſſet. Quis neſcit, quanto odio proſecuti eos, qui toga, qui ſago gloriam laudemque comparaſſent: quanto fauore complexi fuerint hos, qui improbitatis flagitiorumque ſuorum exemplum ſecuti, omnibus libidinibus, ac ſceleribus immerſi iacerent. Neceſſe eſt enim, vt CICERO ait, *qui improbos probet, probos improbare.* Haec ampliſſima calumniandi materia, crimine maieſtatis a Tiberio inuento, quod TAC. *An. III, 38. omnium criminum complementum*

adpel-

adpellat, eo magis aucta eſt, quod, ſi alia deeſſent, hoc in quemque facile coniici poſſet, cum idem facillime poſſet probari. Indicioque adeo impunitas propoſita erat. ASCON. PAEDIAN. *in Cic. Divin. in Caecil. c. 11. Certa ſunt, in quibus impunitas indicii datur, vt in cauſa proditionis, Maieſtatis, & ſi quid huiusmodi eſt.* Iudicibus vero periculoſum erat, quod hoc crimen valde ſuſpicioſum erat, etiamſi falſum eſſe cognoſcerent, abſoluere, aut non adprobare. Exemplum eſt ap. MATTH. *Euang. XXVII, 24.* IOAN. *XIX, 12. 13.* Huc accedebat, quod, praeter vulgare illud proemium etiam extraordinariis proemiis, honoribus, diuitiis, muneribus, aucti accuſatores, in ſumma principum gratia verſabantur. Itaque quanta calumniae frequentia fuerit ſub Impp. quantus furor accuſandi, quaeſtu, & gratia inflammatus, arſerit, vitamque & bona innocentium adfixerit, facile poteſt intelligi. cf. ea, quae ſupra de crimine maieſtatis, & Lege teſtamentaria explicata ſunt. Alterum genus *delatorum* hoc erat, quod caduca fiſco nunciaret, ſub Impp. demum exortum. Cum enim Lex Iulia & Papia Poppaea, Voconia, de Viceſimis, aliaeque aut eo conſilio introductae eſſent, aut certe a principibus eo converterentur, vt aerarium & fiſcus locupletaretur: neceſſarii erant, qui, quod contra iſtas Leges admiſſum eſſet, ad aerarium deferrent. Hi, cum ab Auguſto propter Legem Papiam Poppaeam proemio *quartae* partis incitati eſſent, ſui quaeſtus cauſa, in foro quotidie volitabant, & ſiue nocens quis eſſet, ſiue innocens, modo pecunioſus, deferebant,

rebant, vt inde & ſua res familiaris, & fiſcus augeretur. In quo eos ſummis opibus adiuuit Impp. cupiditas, & improbitas, qui libentiſſime etiam innocentes condemnari patiebantur, vt fiſcus, & aerarium exhauſtum, ſpoliis ciuium repleretur. Et quamquam Lex Remmia de calumniatoribus iam libera rep. antiquis admodum temporibus ſancita erat aduerſus falſas accuſationes, tamen ea aut iam libera rep. euanuit, vti poſtea dicemus, aut certe Imperatorum temporibus locum non habuit, qui ſuam rem agi in condemnationibus innocentium arbitrarentur. Nam quae exempla ſub Impp. delatorum propter calumnias damnatorum, atque punitorum, reperiuntur, ea ſunt huiusmodi, vt potius licentiam impunitatemque eorum demonſtrent latronum, qui in vitam & bona innocentium graſſantes, aerarium & fiſcum, ſanguine & morte ciuium, opibus inundarent. Damnabantur, fateor, interdum delatores: at qui? Tales, qui aut non admodum vtiles ac fructuoſi Impp. eſſent, aut calumniam nimis impudentem feciſſent, aut denique, qui opera ſua Imperatorum auaritiam iam ſatis ſaginaſſent. v. BRENCMANN. *de fat. delat. ſub Impp. c. 5. Theſaur. Iur. Ciu. T. III.* Itaque his calamitatibus preſſa resp. gemuit, donec tandem in bonorum principum ſinum confugit. Iam Titus quidem, amor ille atque deliciae generis humani, huic peſti remedium quaeſiuerat; cum, quo ſecuritati vltionique ciuium proſpiceretur, *delatores mandatoresque in foro flagellis ac fuſtibus*, (poena ſeruili) *caeſos, ac nouiſſime traductos per amphitheatri*

atri arenam, partim ſubiici in ſeruos ac vaenire imperaret, partim in aſperrimas inſulas auehi. Et vt in poſterum etiam ſimilia auſuros coërceret deterreretque, vetuit inter cetera de eadem re pluribus Legibus agi, quaerique de cuiuspiam ſtatu intra certos annos. SVETON. *Tit. c. 8.* Durum ſane & dignum tam peſtilenti genere hominum ſupplicium; quale militibus minatus fuerat Iulius Caeſar ap. SVETON. *Caeſar c. 65.* vbi: *deſinant quidam*, inquit, *quaerere vltra, aut opinari: aut quidem vetuſtiſſima naue impoſitos quocunque vento, in quaſcumque terras iubebo auehi.* Verum Domitianus, Titi frater ac ſucceſſor, quamquam initio principatus, ſimulatione bonitatis & clementiae vſus, *fiſcales calumnias magna calumniantium poena repreſſit*, *ferebaturque vox eius: PRINCEPS, QVI DELATORES NON CASTIGAT, IRRITAT*, auctore SVETONIO *c. 9.* tamen poſtea huic hominum generi iterum ita permiſit, vt vix vmquam maior calumniis delatorum calamitas reip. illata fuiſſe videatur. SVETON. *c. 10.* Dignam hanc labem ſua cura, cui medicinam faceret, iudicauit Nerua princeps, poſt peſſimos multos bonus alter. PLIN. *Paneg. l. c.* DIO. CASS. ſiue potius XIPHILIN. e *Caſſii Lib. LXVIII. p. 769.* Sed omnium optime ac ſeueriſſime delatorum vim coërcuit Traianus Imp. qui fere ſimili modo, ac Titus olim, eos puniuit: cuius rationem elegantiſſime deſcribit PLINIVS *Paneg. c. 34. Contigit deſuper intueri*, inquit, *delatorum ſupina ora retortasque ceruices.* Qui mos erat, maxime noxios per vias, theatra, amphitheatra, forum,

rum, circum, traducendi, velut ſpectaculum aliquod, vt, qui infandum facinus commiſiſſent, os eorum ab omnibus poſſet conſpici; de quo quidem ritu praeclara docuerunt Viri Celeberrimi, J. FR. GRONOV. *Obſ. II*, 22. & CVPERVS *Obſ. I*, 12. *Agnoſcebamus ac fruebamur*, pergit porro PLINIVS, *cum velut piaculares publicae ſollicitudinis victimae ſupra ſanguinem noxiorum* (qui nempe in circo, ob crimina & delicta, depugnare coacti ſunt) *ad lenta ſupplicia grauioresque poenas ducerentur. Congeſti ſunt in nauigia raptim conquiſita, ac tempeſtatibus dediti; abirent, fugerentque vaſtatas delationibus terras, ac ſi quem fluctus ac procellae ſcopulis reſeruaſſent, nuda ſaxa, & inhoſpitale littus incoleret.* Concinne quoque idem ſupplicium delatorum deſcribit MARTIAL. *Epigr.* 4. *Spect.*

Turba grauis paci, placidaeque inimica quieti,
Quae ſemper miſeras ſollicitabat opes,
Traditur a Getulis nec cepit arena nocentes,
Et delator habet, quod dabat, exilium.

Quo forte etiam pertinet nummus TRISTANI *T. I. p.* 582. ap. SCHWARZIVM *V. C. in Nummis Traiani*, Panegyrico Plinii praemiſſis *n.* 8. in cuius parte priore expreſſum eſt Traiani caput, cum inſcriptione: ... SAR. TRAIANI; in altera conſpicitur nauis inter fluctus maris, in qua tres homines, inque his vnus militari habitu, nauigant: extra nauem ſtat ſiue vir paludatus, manum naui adcommodans, qui nonnullis Traianus videtur, ſiue Neptunus, nauem deſtructurus, vti Cel. SCHWARZIO placet: circa illum hinc duo ho-

 mines

mines nudi elatis brachiis, quaſi naufragium paſſi, illinc, duo delphini, aliaue quā monſtra marina, natant. Quae ſane digniſſima poena fuit iſto exitiabili & execrando hominum genere: qui ſuis calumniis vaſtitatem ciuitati, inſulis atque ſcopulis frequentiam honeſtiſſimorum hominum, attuliſſent. *Memoranda*, inquit PLINIVS c. 35. *facies, delatorum permiſſa omnibus ventis coactaque vela tempeſtatibus pandere, iratos fluctus ſequi, quoscumque in ſcopulos detuliſſent. Iuuabat, proſpectare ſtatim a portu ſparſa nauigia, & apud illud ipſum mare agere principi gratias, qui, clementia ſua ſalva, vltionem hominum terrarumque diis maribus commendaſſet. Quantum diuerſitas temporum poſſet, tum maxime cognitum eſt, quum iisdem, quibus antea cautibus innocentisſimus quisque, tunc nocentisſimus adfigeretur; cumque inſulas omnes, quas modo Senatorum, iam delatorum turba compleret, quos quidem non in praeſens tantum, ſed in aeternum represſiſti, in illa poenarum indagine incluſos.* Traianus igitur delatores *in aeternum repreſſit*, vt ait PLINIVS, at quomodo? Non ſatis hoc fuerit, eos relegari, atque deportari: Primo ergo patrimonia ac bona eorum publicanda ſtatuit. Idem PLINIVS ſignificare mihi videtur: *Ereptum alienas pecunias eunt: perdant, quas habent: expellere penatibus geſtiunt; ſuis exturbentur.* Quid vero? cum olim calumniatorum ſupplicium e Lege Remmia eſſet, ſtigmatis in fronte inuſtio, K. littera, Kalumniae nota; grauis ſane ſignificatio, qnam improbus homo ac ſceleratus fuerit is, qui innocentes capitis accuſare, & bonis

omnibus

omnibus euertere laboraſſet: an forte Traianus, antiquae ſeueritatis amantiſſimus, hanc animaduerſionem in delatores ſtatuit? Minime vero. PLINIVS ait: *neque, vt antea, exanguem illam*, omni rubore & pudore carentem, *& ferream*, ſenſus expertem, *frontem nequicquam conuulnerandam praebeant punctis, & notas ſuas rideant.* Noluit nimirum hac eos nota compungi, quod impudentia, & improbitas calumniatorum delatorumque, dudum eam irritam reddiderat, qua *nequicquam conuulnerarentur*, quamque ipſi tantummodo *riderent.* Non igitur vſus eſt hac nota: video. Sed vtrum eam penitus ſuſtulit primus? quemadmodum PIGHIVS *Annal. ad a. DCXIII.* putabat: vt M. Antoninus Philoſophus eam reducere neceſſe haberet? qui *cauit & ſumtibus publ. & calumniis quadruplatorum, adpoſita falſis delatoribus nota.* CAPITOLIN. *vit. Marc. c. 11.* At neque Traianum primum eam aboleuiſſe, neque reſtituiſſe Antoninum, facile poteſt confirmari. Neque enim, ſi Traianus primus totam hanc Legem Remmiam abrogaſſet, quin Plinius id diſertis verbis ornaturus fuerit, non eſt dubium, cum etiam ea magnifice extollere ſoleat, in quibus aliquid tantum veteribus Legibus & inſtitutis adſtruxit. Neque vero, quod PLINIVS dicit: *vt antea*, aliter intelligi poteſt, quam olim, ante multum tempus. Quod ſi usque ad Plinii Traianique aetatem perſtitiſſet illa poena, dicendum fuiſſet: *vt hactenus, vt adhuc.* Sed dicit: *vt antea.* Immo vero admodum eſt procliuis coniectura, iam longe ante Traianum, forte etiam iam libera rep. de-

 ſiiſſe

ſiiſſe Legis Remmiae ſeueritatem: quemadmodum multa alia vetera inſtituta in deſuetudinem abierunt. Cùm enim Lex Remmia ad coërcendas calumnias introducta eſſet, atque ſancita, cum, deſignandae turpitudinis improbitatisque cauſa, nota frontem inuri oporteret, vt infamia illa atque animaduerſione deterrerentur homines a calumniandi libidine: vſum atque auctoritatem amittere debuit, ſi, quo conſilio lata fuerat, eo carere incepiſſet. Scimus autem, rep. ad finem inclinata, & quaſi in flexu aetatis conſtituta, cum luxuries & pecuniae cupiditas cum Attalicis, Aſiaticis, Macedonicis diuitiis in vrbem immigraſſent, homines tam improbos extitiſſe, & impudentes, vt infamia atque dedecore ſuo & gauderent, & gloriarentur: modo luxuriei, atque cupiditatibus poſſent velificari ſuis. Quae quidem impudentia cum irritum feciſſet conſilium Legis, non eſt mirum, ſi ipſa quoque Lex omnino exoleuit. Certe qui Scriptores diligentiſſime res geſtas, ſiue potius dedecora & flagitia XII. priorum Caeſarum, memoriae prodiderunt ac litteris, etſi ſaepe ad delatorum mentionem poenamque ſermone delapſo, tamen numquam poenam Legis Remmiae vel leviter attingunt. Memorantur enim delatores graviter puniti ap. SVETON. *Galb. c. 8.* TAC. *Ann. III, 31. 36. VI, 30. XIII, 22.* & paſſim; vt taceam loca iam a nobis laudata: Sed tamen nuſpiam reperitur punitus delator e Lege Remmia. Quod quidem probabile ſane eſt argumentum, iam tum omnem illam poenam ceſſauiſſe. Et ſi qui dicant, demum Conſtantinum M. in *L. 17. C. de poen.* ſuſtuliſſe

ſtuliſſe

ſtuliſſe notam Legis Remmiae: eos facile putamus receſſuros eſſe a ſententia ſua, ſi modo ipſam *Legem* illam 17. *C.* conſiderauerint attentius. Pertinet enim tantummodo ad damnatos in metallum, & ſeruos poenae effectos, qui notis quibusdam compungi ſolebant. Si quis tamen perſpicere ſua ſponte non poſſit, eum ad BRENCMANNVM *de Lege Rem. c. VIII.* ablegamus. Iam quod ad alterum attinet; quod dicitur Antoninus Philoſophus eam reduxiſſe, a Traiano proſcriptam, idem BRENCMANNVS *Diſſ. laud. c. XIV.* docuit; locum CAPITOLINI laud. intelligendum eſſe de nota infamiae, ſeu turpitudinis. Cum igitur viderimus, Traianum ſumma ſeueritate in puniendis delatoribus vſum, noluiſſe Legis Remmiae notam, diu ante abolitam, vſuque ſublatam, ipſorum frontibus adfigi: reſtat, vt doceatur quomodo, quibusue poenis, delatorum libidinem, atque calumnias coërcere, ac tollere; *in perpetuumque reprimere*, conatus fuerit. PLINIVS, quem hoc in loco ſemper auctorem habuimus, & nunc auctoritatem non deſugiet. Ait autem *loc. laud.: expectent paria proemio damna; nec maiores ſpes, quam metus habeant: timeantque quantum timebantur:* Quibus verbis quid aliud, quam POENA TALIONIS ſeu talio, ſimilitudoue ſupplicii indicatur; quam Traianus delatoribus propoſuit ſuſtinendam, ſi calumniae alicui factae conuicti eſſent. Quodcumque igitur ſupplicium, quaecumque poena ſubeunda foret ei, quem criminis alicuius accuſarent, eandem & ipſis quoque infligi iuſſit, ſi crimen, accuſationemque ſuam

non probaſſent. Quare ſupra PLINIVS eos dixit *mille poenarum indagine incluſos*, quia nempe ad omnia criminum poenarumque genera, ſiue, vti praeclarus auctor MARCIANVS ait, *L. 15. §. 1. D. ad SCtum Turpill. ad ſingulas poenas in ſingulis cauſis* pertinet. MARTIAL. *l. c.* ait

Et delator habet, quod dabat, exilium.

Quod igitur poſtea valuit ſimilitudo ſupplicii adverſus delatores omnes, id a Traiano profectum videmus: qui, quod Auguſtus Imp. vna in ſpecie cauerat, id ad genus vniuerſum traduxit. Auguſtus enim *diuturnorum reorum, & e quorum ſordibus nihil aliud, quam voluptas inimicis quaereretur, nomina aboleuit, conditione propoſita, vt ſi quem quis repetere vellet, PAR PERICVLVM POENAE ſubiret.* SVETON. *Aug. c. 32.* Inducta igitur in omnibus accuſationibus a Traiano talione ſ. pari poenae periculo, acceſſit poſtea forte circa Alexandri Seueri tempora *ſubſcriptio in crimen*, qua accuſator, qua poena reus damnatus plectendus eſſet, eidem, ni obtinuiſſet, ſubeundae obſtringere ſe tenebatur. VLPIANVS enim & PAVLLVS, qui ſub Alexandro vixerunt, huius *inſcriptionis*, quaſi recentis adhuc, mentionem faciunt; *L. 6. de accuſat. & inſcr.* ſuperiores autem ICti plane ne verbum quidem ea de re expreſſerunt. v. BRENCMANN. *l. c. cap. XXI.*

TRAIA-

TRAIANO AVG. VI.
SEX. ARTICVLEIO
COSS.

A. CHR. CI. A. V. C. DCCCLIIII.
TRAIANI IV.

SENATVS CONSVLTVM factum eſt *de donis ac muneribus aduocatorum* PLIN. *Ep. V*, 21. Refero ad *a. Chr.* 101. quod ſententiam apud Plinium primo loco dixiſſe dicitur *Afranius Dexter* tum *Coſ. deſignatus*. Eius autem Conſulatus incidiſſe mihi videtur in annum Chr. 102. vt poſtea declarabimus. Iam *Lege Cincia*, auctore M. Cincio Alimento tribuno pl. *a. V. C.* DXLIX. lata, ſancitum fuerat primo capite hoc, *ne quis ob cauſam orandam donum munusue caperet*, frequenti iam tum patronorum, oratorumque licentia, qua plebs Senatui, ſiue patronis Patriciis nobilibusque, vectigalis, ac ſtipendiaria eſſe coeperat LIV. *XXXIV*, 4. Neque enim modice iam munuſcula, xeniola ac liberalitates ſeu remunerationes, a clientibus vltro datae, capiebantur, ſed, quaſi debitae, neceſſario a patronis exigebantur. Quo fiebat, vt plebi facultates attenuarentur, & iam non iuſtitia cauſae, aut innocentia, ſed pretium & quaeſtus eloquentiam & defenſionem regeret, ſed pecunioſa malitia praeſidium apud oratores perfugiumque haberet. Huic igitur malo obviam itum eſt hac Lege, & cupiditas patronorum vinculis conſtricta. Verum tamen haec Lex erat

imperfecta, h. e. nulla ſanctione poenali munita VLPIAN. *fragm. I, 1.* v. ib. SCHVLTING. *in Iurisprud. Antej. p. 565.* Itaque facillime haec Lex ab Oratoribus perfringebatur, adeo, vt etiam Cicero, at quantus Vir! quamque honeſtus! ab hoc crimine non immunis haberetur. Certe, quamquam tot animi ſui generoſiſſimi, & honeſtiſſimi documenta edidit illuſtriſſima; quamquam multi veterum abſtinentiam innocentiamque eius verbis ac teſtimoniis honorificentiſſimis ornant; tamen eundem, auctore GELLIO *N. A. XVII, 12.* a P. Sulla coniurationis reo, cuius patrocinium receperat, grandem pecuniae ſummam, ad emendam ſuam domum Palatinam tacite mutuam accepiſſe, memoriae proditum eſt ac litteris. Atque in hanc ſententiam inprimis aduerſus Ciceronem diſputat FR. BRVMMER. *Comm. ad L. Cinc. c. VI.* vt hoc GELLII vnum teſtimonium de patrocinii auctoramento maiorem fidem facere, quam alias multas de ejus innocentia auctoritates, oportere decernat. Verum, ſi quid video, & niſi meus me in Ciceronem amor fallit, tamen, cum auctores ii, qui innocentiam eius laudant, magis idonei, quam GELLIVS, eſſe videantur, ratio Brummerianae ſententiae conſtare mihi non videtur. Quid? qui iſtam criminationem tradit GELLIVS, cum, ex quo hauſerit auctore, eum non commemoraverit, ſed profeſſus ſit, hoc proditum fuiſſe, quis eſt, quin videat, falſis potius rumoribus, ad inuidiam ei faciendam ab inimicis ipſi hominibus in vulgus ſparſis, eam adnumerandam eſſe. Neque eſt, cur, GELLIVM, ſtatuas cum BRVMMERO,

id

id ex *Tironis* de *ridiculis Ciceronis* libris depromſiſſe, cum non credibile ſit, libertum iſtum, Patroni ſui amantiſſimum, rem a vero abhorrentem, & Ciceroni inuidioſam, litteris ac memoriae prodidiſſe. Quid vero? QVINCTILIANVS, *Inſtit. Or.* *XII*, 1. auctor ſane, qui reprehendi non poſſit, cum honorificis Ciceronis abſtinentiam extollat verbis, quin huic potius fides haberi debeat, quis erit, qui dubitare poſſit? Quod autem BRVMMERVS ad Ciceronis reprehenſionem trahit, quod teſtamentis amicorum toties ei honorem habitum, &, ſiue legatis, ſiue hereditatibus, ornatum ſciamus, id profecto tantum abeſt, vt BRVMMERO faueat, vt aduerſarium ei ſit quam maxime. Quis enim neſcit in vltimis tabulis veteres Romanos inprimis veritatem animique ſui ſententiam ſinceram prodidiſſe. Et propterea putabant dicebantque ſibi teſtamenti tabulis, ſi quid relictum eſſet, *honorem haberi* CIC. *pro Roſc. Amer.* 37. vnde ipſa hereditas *honor* dicitur ap. eund. *pro Quinct.* 4. & exheredatio vocatur *iniuria L.* 8. *pr. D. de inoff. teſtam.* CORN. NEP. *Themiſt.* c. 1. *contumelia.* v. J. FR. GRONOV. ad *Senec. de tranquillit. anim.* c. 11. SCHVLTING. *Diſſ. de teſtam. reſciſſ. ad* VAL. MAX. *VII*, 7. adiecta *edit. Val. Max. Torrenii* & *Schultingii Theſ. controu. p. m.* 544. Quae cauſa etiam eſt, quare Imperator Auguſtus tantopere cupierit ex amicorum teſtamentis aliquid capere. SVETON. *Auguſt. c.* 66. Quapropter ego quidem non intelligo, quomodo hi teſtamentorum honores eo pertinere poſſint, vt Cicero exinde venalem habuiſſe

elo-

eloquentiam, defenſionemque reorum, probetur. Sed quamuis Cicero hoc crimine ſe abſtinuerit, & puras manus habuerit, tamen certum hoc eſt indubitatumque, Romae Legem Cinciam eo tempore adeo neglectam fuiſſe, vt, cum Auguſtus imperium Romanum ſub ſuam dominationem redegiſſet, neceſſarium duceret, arctioribus vinculis Patronorum improbitatem conſtringere. Hic enim a V. C. DCCXXXVII. C. Furnio C. Silano Coſſ. oratores, cauſas nullo accepto proemio agere, qui ſecus feciſſent, quadruplum acceptae mercedis reddere, iuſſit, vt auctor eſt DIO. CASS. *Lib. LIV. p. 533.* adeoque repetundarum accuſari vt poſſent, conſtituit. Sed neque huius SCti, ſanctionisque obſeruatio & auctoritas fuit diuturna, ſub Impp. ſequentibus, quorum malum ingenium & ſaeva libido malis hominibus accuſandi licentiam, clientibus vero neceſſitatem pro defenſione ſua vectigal oratoribus dependendi, attulerat. A. V. C. DCCXCVIII. igitur ſub Claudio, ſuaſore & auctore C. Silio Cos. des. vt SCto Cincia Lex reduceretur ac renouaretur; edicto *Claudius*, vt TACITVS *An. XI, 5.* inquit, *capiendis pecuniis poſuit modum usque ad dena ſeſtertia, quae egreſſi repetundarum tenerentur.* Nerone principatum ingreſſo, qui boni tunc principis mimum agens Senatui rerum arbitrium permiſiſſet, Senatus conſtituit, *vt ne quis ob cauſam orandam mercede aut donis emeretur.* TAC. *An. XIII, 4.* Quapropter nolim SVETONIVM *Neron. c. 17.* cum BRVMMERO, eumque ſecuto GRAEVIO ad SVETON. *l. c.* accuſare ἁμαρτήματος μνημονικȣ͂. Nam,

quo-

quoniam ſub eo, *cautum*, inquit, *vt litigatores pro patrocinio certam iuſtamque mercedem darent:* eum dicunt tribuiſſe Neroni, quod Claudio deberetur. Equidem illud initio imperii a Senatu, ipſo permittente, ſancitum; hoc autem, quod SVETONIVS refert, poſterioribus temporibus, perſona boni principis depoſita, cum auaris hominibus ac ſceleſtis ſe penitus totum permiſiſſet, inter quos multi eſſent, qui patrociniis quaeſtum pecuniasque quaererent, tum, inquam, his hominibus ſuadentibus, reuocato edicto Claudiano, ſtatutum eſſe arbitror. Nam TACITVM quidem de initiis loqui palam eſt. SVETONIVS autem in eum locum omnia ab eo ſancita contulit. Certe edictum Claudianum iterum obtinuiſſe, adparet ex PLINII *ep. V. 14. & ep. 4.* Tempora ſubſecuta turbulenta, Othonis, Vitellii, licentiae atque improbitatis plena, inprimis Domitiani, facile vim omnem illam Edictorum, SCtorumque, de Lege Cincia factorum, infregerunt, immo vero penitus ſuſtulerunt. Itaque, cum imperium Romanum ſ. potius tutela generis humani feliciſſima ſucceſſione translata eſſet in Traianum, qui omnibus Reip. malis ac vitiis mederetur; haec quoque labes ſaluberrimae arti, eloquentiae, depulſa eſt. Occaſionem ei dedit Vicentinorum aduerſus Tuſcilium Nominatum, cauſarum patronum, poſtulatio. Res autem omnis acta ſic eſt. Solers vir Senatorius petierat a Senatu, vt in agris ſuis inſtituere ſibi nundinas liceret. Id enim ſaepenumero factum eſt, vt in agris vicisque nundinae inſtituerentur. Idque ad Senatu peti ſolitum. Sic

SVETON.

SVETON. *Claud. c.* 12. hunc Imperatorem ſcribit ius nundinarum a Coſſ. in *priuata praedia* petiiſſe. Atque huiusmodi loca dicta eſſe *fora* & *conciliabula* docet SIGON. *de iur. Ital. L. II. c.* 15. Contradixerunt Vicentinorum Legati, & cauſae ſuae patronum elegerunt Tuſcilium Nominatum. Is pro primo in Senatum introitu acceperat ſex millia nummum, deinde rurſus mille denarios; quae ſumma collecta redit ad decem millia ſeſtertiorum, ſeu dena Seſtertia, honorarium aduocatis edicto Claudiano praeſtitutum, vltra quod accipere non liceret. Sed cum Nominatus metu Solertis, viri gratioſi atque potentis, patrocinio deſtituiſſet Vicentinos, hi apud Licinium Nepotem Praetorem, qui Legibus quaerebat, queſti ſunt ſe deceptos eſſe, accuſaruntque patronum ſuum praeuaricationis. PLINIVS *V*, 4. Praetor erat ſane Nepos, ſed non vrbanus, ſed *qui Legibus quaerit*, auctore PLINIO l. c. Itaque ea de cauſa Nepos Praetor poſtulauit, vt Nominatus in Senatum induceretur: non quaſi tunc Senatum habuerit, vti exiſtimat BRVMMERVS *p.* 57. ſed quod ea res ad ipſius curam pertinebat, cum eſſet Praetor, qui Quaeſtionem perpetuam aliquam exercebat. Ea autem Quaeſtio quae fuerit, non ſane expeditum ſatis eſt, dicere, tacente PLINIO. Quod ſi tamen rem ex cauſae qualitate aeſtimantibus, cum ſpecies propoſita incidat in crimen praevaricationis, quod Iulia repetundarum Lege coërcebatur, coniecturam facere licet, Nepos quaeſiviſſe nobis videtur de crimine repetundarum. Neque vero fieri poteſt, vt eo tempore *Praetor deſigna-*

ſignatus fuerit, quemadmodum BRVMMERVS *p. 69.* in PLINII *ep. V, 21.* legit, cum edictum ad ſuam poteſtatem pertinens propoſuiſſe dicatur; cuiusmodi edicta, non a magiſtratibus deſignatis, non ante inchoatam poteſtatem ſuam, ſed in ipſo magiſtratu promulgabantur. Neque adeo PLINIVS eum *Praetorem, qui Legibus quaerit*, ſed, *qui Legibus quaeſiturus eſt*; ſi deſignatus eo tempore tantum fuiſſet, dicere debuiſſet. Huius igitur iuſſu, inducto in Senatum aduocato Nominato, eoque ſe a crimine praeuaricationis defendente, Afranius Dexter Cos. des. cenſuit, *liberandum eum, ita, vt, quod a Vicentinis acceperat, redderet.* PLIN. *V*, 14. Sed *priusquam ſententiae dicerentur, Nigrinus trib. pl. recitauit libellum, quo queſtus eſt, vaenire aduocationes, vaenire etiam praeuaricationes, in litem coiri, & gloriae loco poni ex ſpoliis ciuium magnos ac ſtatos reditus. Recitauit capita legum, admonuit Senatus Conſultorum: in fine dixit, petendum ab Optimo Principe, vt, quia leges, quia SCta contemnerentur, ipſe tantis vitiis medeatur.* ibid. Paucisque diebus, ait PLINIVS, interpoſitis, *librum Principis ſeuerum & tamen moderatum prodiiſſe: eumque in publicis actis eſſe.* Sunt autem haec *Acta publica* non tabularia Vrbis, vt BRVMMERVS putat: Quomodo enim Valeriano dicere poſſet: *Leges ipſum.* Sed ſunt *Acta Senatus*, ſiue etiam *Acta Vrbis Diurna.* In haec enim omnia referri, conſtat, ſolita fuiſſe, quae ſiue in Senatu ſiue apud populum acta ac geſta erant, a Iulii Caeſaris primo Conſulatu inde, quippe qui tum primus ea Acta inſtituit, teſte SVETONIO

in

in *vit. eius c. 20.* quem locum fide ſua non eſſe deſtitutum oſtendit, & vindicauit J. A. ERNESTI Vir. Cel. in *Proluſione de Actis S. P. Q. R. Diurnis ad* SVETON. *Caeſ. c. 20.* Atque haec Acta ſub Traiano diligenter perſcripta fuiſſe, teſtis eſt SPARTIAN. *vit. Hadr. c. 3.* quem *Acta Senatus curaſſe* refert. V. DODWELL. *Prael. Cambd.* XI. cf. PLIN. *Pan. c. 75.* Cauerat quidem Auguſtus *ne Acta Senatus publicarentur*, SVETONIO auctore: Sed facile eſt ad credendum illam prohibitionem non diu obtinuiſſe, cum certe Traiani tempore edita in vulgus eſſe neceſſe ſit, propterea quod PLINIVS loc. laud. dicit: *Liber principis ſeuerus, & tamen modeſtus. Eſt in actis publicis. Leges ipſum.* Id patet quoque ex PLIN. *Pan. c. 75.* laud. Traianus Imp. enim cognita Senatus ſupplicatione, miſerat libellum, ſiue epiſtolam, ſiue orationem ad Senatum, vt in eius ſenttententiam SCtum fieret. *Librum* vocat Plinius. Scripta illa, quibus Impp. Senatui voluntatem ſuam declarabant, ſiue *libellos*, ſiue *orationes*, ſiue *epiſtolas*, nominata fuiſſe, tralatitium eſt. Quae cum ſiue ab ipſis coram, ſiue a Quaeſtoribus Candidatis principum in Senatu recitata eſſent, ſtatim ſubſequi ſolebant SCta, in eam ſententiam. Vnde quod vno loco tribuitur *Orationi principis*, id altero adſcribitur *SCto.* V. P. BVRMANN. *de Vectigal. c. VI. p. 85. ſeqq.* Neque aliter hac in cauſa libri a Traiano ad Senatum miſſi factum fuiſſe, quin SCtum in eum fieret, declarat PLINIVS *ep. V, 21.* Hic enim narrat Nepotem eundem illum Praetorem propoſuiſſe *edictum breue: admonebat,* inquit, *accuſatores admone-*

monebat reos, executurum ſe, quae SCto continerentur. Suberat Edicto SCtum. Inde SCti ſententiam exprimit PLINIVS, ſeruatis eius quibusdam verbis: Hoc, inquit, OMNES, QVI QVID NEGOTII HABERENT, IVRARE PRIVS, QVAM AGERENT, *iubebantur:* NIHIL SE OB ADVOCATIONEM CVIQVAM DEDISSE, PROMISISSE, CAVISSE. *His enim verbis ac mille praeterea, & vaenire aduocationes & emi vetabantur. Peractis tamen negociis permittebatur pecuniam duntaxat decem millium dare.* Ex quo loco adparet duplicem partem SCti fuiſſe. Altera haec erat, qua, *omnes, qui quid negocii haberent, iurare iubebantur, nihil ſe ob aduocationem cuiquam dediſſe, promiſiſſe, cauiſſe.* Ac Traianus, & in eius ſententiam Senatus, iurare prius voluit litigatores, ſe nihil dediſſe, promiſiſſe, cauiſſe, quo homines, qui ſcirent, id ſibi eſſe iurandum, a donis iſtis ac muneribus temperarent diligentius. Simili fere modo IVSTINIANVS Imperator *Nou. VIII.* iureiurando horrendi carminis praeſcripto, iurare iuſſit magiſtratus, antequam inirent, ſe ſuffragium non dediſſe. *Suffragium* autem dicebatur ea ipſa pecunia, quam, vt magiſtratu ornarentur, dabant. vid. CVIAC. *Expoſit. Nouell. l. c.* Sic in creandis tabellionibus ac iuriſperitis, qui tenerent LX. libros *βασιλικῶν* & haberent *ἐπὶ ςόματος* XL. titulos Enchiridii, auctore HARMENOPVLO *in praefat.* creatores iurare coacti, ſe nec gratia nec ambitione vlla, ſed ſola virtutis conſcientia ad creandos nouos tabelliones adductos

 eſſe.

eſſe. *Nouella Leonis* περὶ πολιτικῶν σωματείων συντάξεων. vid. CVIAC. *Comm. ad tres poſter. Cod. Iuſtin. libros. Lib. X. p. m. 123.* Cum igitur hac ratione SCtum, antequam agerent litigatores, iurare iuſſiſſet, ſe ob aduocationem nihil cuiquam dediſſe, promiſiſſe, cauiſſe, his ac mille aliis verbis *& vaenire aduocationes & emi vetabantur.* Inſigniora enim tantum SCti verba PLINIVS prodidit. *Dare* dicuntur clientes aduocatis, cum non ſolum pecuniam ipſam vel aliud quid pro orandis cauſis dant, *L. 75. §. 5. D. de Verb. oblig. L. 167. D. de reg. Iur.* ſed etiam, ſi, quod a Patronis ſibi crediti cauſa debetur, id acceptum ferunt *L. 5. C. de Pact. L. 115. de reg. Iur. Promittere* autem & nudam promiſſionem, & ſtipulationem ſignificat *L. 123. de verb. oblig. Cauere* autem denotat, aduocatum chirographo perſcripto de mercede aduocationis ſoluenda ſecurum praeſtare, quomodo debitor *cauere* creditori dicitur *L. 5. §. 8. D. Commod.* aliisque in locis; vel etiam fideiuſſoribus, praedibus, praediisque, vel pignoribus ſe obligare. Hoc igitur primo capite SCti ſatis proſpectum videbatur aduocatorum improbitati & malitiae, qui ſaepiſſime, accepto honorario, praevaricarentur. Alterum caput e PLINII verbis colligitur fuiſſe hoc, VT PERACTIS NEGOCIIS DVNTAXAT DECEM MILLIA HS. DARE LICERET. *Duntaxat* h. e. ad ſummum, ne plus decem millibus, quam ſignificationem habere *duntaxat*, in vulgus notum eſt. Quo capite reuocatum fuit pleniusque confirmatum & ſancitum Edictum Claudianum, de quo ſupra.

ſupra. Id tantummodo additum eſt atque ſubrogatum, vt *peractis* demum *negociis* dare liceret, cum Edictum Claudianum quouis tempore, ſiue ante patrocinium praeſtitum, ſiue poſt cauſam peroratam, permiſiſſet accipere. Quae quidem res effecerat, vt Patroni negligentius agerent, lites ac negocia producerent, et, niſi nouis pecuniis induſtria, ſiue potius auaritia ipſorum, accenderetur, ſaepiſſime deſererent cauſas: id quod Tuſcilius Nominatus fecit in cauſa Vicentinorum, de qua PLINIVS *locc. laudd.* His igitur omnibus aduocatorum fraudibus occurrit hoc alterum SCti caput. Sed ſatis de hoc SCto in Legem Cinciam facto, de quo qui plura cognoſcere cupiat, eum ad FR. BRVMMERI *Lipſ.* doctiſſimum *Commentarium ad Legem Cinciam c. VI.* ablegamus, a quo plurimum nos profeciſſe ingenue profitemur.

ARTICVLEIANVM SCTVM huc reuocandum eſſe e nomine ſtatim patet. Cautum autem eo fuit *de fideicommiſſariis libertatibus, vt in prouinciis praeſides prouinciae de iis cognoſcerent, licet heres non eſſet eius prouinciae.* Namque etſi MARCIANVS in *L. 51. § 7. D. de fideic. libert.* tantum dicit: *Articuleiano SCto cauetur, vt in prouinciis praeſides prouinciae cognoſcant, licet heres non ſit eius prouinciae:* tamen e conſecutione orationis MARCIANI patet, id quoque de fideicommiſſariis libertatibus ſanxiſſe. De quo nihil dicere attinet, quoniam ceteroqui & Rubriano & Daſumiano admodum videtur conueniſſe.

SCTVM RVBRIANVM nomen ſuum habet a Cos. RVBRIO GALLO, quo referente factum eſt

 tem-

temporibus Traiani. Ita enim VLPIANVS *Lib. V. Fideicommiſſorum*, quo de fideicommiſſa libertate egit: *Subuentum libertatibus eſt SCto, quod factum eſt temporibus Diui Traiani RVBRIO GALLO ET COELIO HISPONE COSS.* Hi igitur tum Coſſ. fuere, quorum nomina cum non inueniantur in faſtis Coſſ. neceſſe eſt, vt ſuffecti fuerint. Satis enim conſtat ordinarios ſolummodo, non ſuffectos quoque, in faſtis notari. Quae quidem res in Legibus Pandectarum, hiſtoriaque Rom. deſcribenda, ſaepenumero difficultatem ſolet adferre, cum non adeo expeditum ſit, ſuos quibusuis annis Coſſ. ſuffectos reddere. Nos ſecure ad hunc *a. Chr.* 101. referimus, propterea quod eodem anno, ſub initium de fideicommiſſariis libertatibus factum eſt *SCtum Articuleianum*. Nam quod HEINECC. *Hiſt. Iur. L. I. p.* 250. putat e GRVT. *Inſcr. p.* CCCCLXIV. *n.* 1. probari, eos e Kal. Iulii ſuffectos fuiſſe, in eo diligentia videtur defuiſſe Viro Doctiſſimo. Nam ibi tantum reperitur monumentum poſitum RVBRIO GALLO ſine mentione Conſulatus aut collegae. Neque conſtat adeo, iſti inſcriptioni huius nominis lectio, vt e *p.* 1102. *n.* 7. patet. Verum enim vero dubitationem hanc nobis aliquis obuertere poſſit, quod Coſſ. ordinariorum potius, quam ſuffectorum, nomine denotanda Senatus Conſulta videantur; vt, cum ordinariorum Coſſ. nomina ad tempus indicandum adhibeantur, hic autem ab VLPIANO dicatur SCtum factum eſſe *Rubrio Gallo & Coelio Hiſpone Coſſ.* ſatis auctoritatis adferri neceſſe ſit, cur hi Coſſ. pro ordinariis habeantur.

Verum-

Verumtamen ſi quis huic ſententiae rationique tantum tribuat, ſcito nos non poenitere ſententiam noſtram ſeiungere. Equidem ſcio prae meque fero, SCta nominari ab iis Coſſ. quibus referentibus facta ſint. Non autem dubito, quin, ſi quis exemplis nos vti velit, huic voluntati ſatisfacere poſſimus: neque vereor, ne, qui reputare voluerit, hac in re in exemplorum copia omnem vim auctoritatemque poni oportere, iis ad noſtram rationem traduci non poſſit. *SCtum Trebellianum* in vulgus notum eſt, quod factum eſt, auctore VLPIANO in *L. 1. ad SCtum Trebell. Seneca & Trebellio Maximo Coſſ.* At neque hi inter ordinarios fuere, ſed ſuffecti *a. V. C. DCCCXIV. p. C. N. LXII.* Sic *Pegaſianum* factum eſt Veſpaſiano imperante, *Pegaſo & Puſione Coſſ. §. 5. Inſtit. de fideic. heredit.* ſuffectis nimirum. Sic *Iuncianum* factum eſt Coſſ. *Aemilio Iunco & Iulio Severo* ſuffectis a. Chr. CLXXXII. E quibus exemplis ſatis, credo, adparet, vſitatiſſimum eſſe, SCtis nomina Coſſ. ſuffectorum imponere. Ex quo fit, vt tam inepte diſputandum, contortisque rationibus de aetate SCtorum agendum non ſit, quando in Faſtis nomina eiusmodi Coſſ. non inveniuntur. Sententiam autem eius ita enarrat VLPIANVS h. l. SI HI, A QVIBVS LIBERTATEM PRAESTARI OPORTET, A PRAETORE EVOCATI ADESSE NOLVISSENT: SI CAVSA COGNITA PRAETOR PRONVNCIASSET LIBERTATEM HIS DEBERI: EODEM IVRE STATVM SERVARI, AC SI DIRECTO ESSENT MANVMISSI.

G 3 Agi-

Agitur eo de fideicommiſſis libertatibus, quae vel heredi vel legatario verbis precatiuis, vti loqui ſolent, iniunctae ſunt, v. c. *Rogo te*, *peto*, *fidei tuae committo* cet: cuius generis quae ſint formulae, vid. in *L. 46. h. t.* Qui fiduciarius ſi eum manumiſiſſet, iura patronatus in eum habebat; Sed tamen non tanta, quanta, ſi quis libero iudicio, non neceſſitate fideicommiſſi, manumiſiſſet. *arg. L. 50. D. de R. N. L. 10. D. de diuort.* neque operas petere poterat *L. 13. §. 1. D. de oper. libert.* ſed tam contra tabulas, quam ab inteſtato ad bona eius venire *L. 29. de bon. libert.* Contra directa teſtamenti ſcriptura liberati nullius erant viventis liberti, *L. 4. D. de bon. libert.* qui pileum ſtatim ſumebant, & funus pileati ſequebantur, *L. 10. C. de teſtam. manumiſſ.* qui *Orcini* propterea dicebantur, quaſi libertatem ab Orco recepiſſent, ſiue *Charonei* Gr. v. CVIAC. *Obſ. III, 23.* Sed tenendum tamen hoc eſt, eos, etſi nullius eſſent liberti, ad familiam defuncti tamen pertinuiſſe. *L. 3. §. 3. D. de legit. tut. L. 1. §. 7. C. de Latin. libert. toll.* Inde etiam familiae liberti dicebantur *L. 48. D. de manum. teſtam.* Antiquis liberae reip. R. temporibus, quamquam vel heredes vel legatarii nullo iuris vinculo adſtricti fuere, vt manumittere tenerentur eos, quorum libertas ſuae fidei eſſet commiſſa, cum omnia in vniuerſum fideicommiſſa in ſola heredum bona fide atque honeſtate niterentur: tamen, cum fidei amicorum ſuorum crederent homines patrimonia integra, alteri, cui aperte relinqui non poterant, reſtituenda, non eſt dubium, quin etiam iam tum fidei-

com-

commiſſariae libertates extiterint: Ita in *L.* 40. §. 1. OFILIVS, Ciceronis aequalis, ea de re conſultus legitur, vt mihi quidem videatur id genus non vſitatum fuiſſe. Itaque quemadmodum ſaepe numero hereditates fideicommiſſae non reſtituebantur, ita libertates etiam ſaepe numero neglectas iacuiſſe, credibile eſt. Poſtquam vero, auctoritate Auguſti, fideicommiſſis iuris neceſſitas acceſſit, v. *Inſt. Iuſt.* §. 1. *de fid. her.* eadem etiam ratione munitae & tutae erant libertates, vt in ea re fidem liberare fiduciarius, ſiue heres, ſiue legatarius, iure deberet. Quis autem neſcit, quam ingenioſa, quam ſedula ſit iniquitas & auaritia, quae, licet firmiſſimos & plurimos legum laqueos poſueris, eos tamen effugere poſſit, vel certe perrumpere? Libertas directa non petebatur, *L.* 55. §. 1. *D. h. t.* ſed ipſo iure competebat, neque adeo quidquam in ea re fraudis intercedere poterat. At fideicommiſſaria, vel ab herede, vel a legatario praeſtanda, petenda erat apud Praetorem, Fideicommiſſarium ſine dubio, vel in provinciis apud Praeſidem *L.* 11. *C. h. t.* qui cauſam cognoſcebat, eaque cognita, ſi deberi perſpexiſſet libertatem, decretum interponebat. Ad Praetorem igitur euocari oportebat eum, a quo libertas erat relicta. *L.* 6. §. 9. *D. h. t.* Quid igitur pronius erat, aut expeditius, quam, ſi quis libertatem praeſtare nollet, euocatum a Praetore non adeſſe, atque adeo libertatem eludere? Saepe id factum eſſe, intelligimus e tot fragmentis ICtorum, ſub hoc Pandectes titulo collocatis, v. c. *L.* 28. Atque adeo id ipſum clariſſime perſpicitur ex eo, quod tam multis legibus ſ. SCtis de ſecurita-

 te

te libertatis fideicommiſſae conſtitutum inuenimus. Eſt ſane libertas bonum eiusmodi, cui ſatis grande, ſeu potius nullum, ſtatui pretium poſſit, & cuius ſeruandi obtinendique cauſa legislatores fauorabiles, & diligentes eſſe oporteat. Hoc SCto igitur fraudibus, & calumniis occurſum eſt eorum, A QVIBVS LIBERTATEM FIDEICOMMISSAM PRAESTARI OPORTERET: Verum tamen non omnes, qui quacumque ex cauſa fideicommiſſam libertatem praeſtare debebant, coërcentur, ſed ii tantum, qui ex cauſa fideicommiſſi manumittere deberent, *L. 36. pr. h. t.* qui ipſi rogati in ſe ſuamque fidem illud munus receperant, agnita vel hereditate, vel accepto legato. Hos autem tantum *Rubriano SCto* comprehenſos fuiſſe, vel inde patet, quod dicuntur ſaepenumero, *qui rogati erant*, v. c. *L. 26. §. 11. h. t. L. 28. §. 2. h. t. L. 3. §. 3. D. de legit. tutor. Plane ſi forte ex Rubriano SCto peruenerit ad libertatem, non habebit tutorem eum, qui rogatus eſt.* Itaque ii, ad quos ſeruus pervenit, qui in ea cauſa eſt, vt ex fideicommiſſo manumitti debeat, ſi ipſi rogati non ſunt, in hoc SCtum plane non incidunt: Sed ii tantum, qui rogati ſunt. Qui ſi EVOCATI A PRAETORE edictisue citati, fraudis cauſa, non reſponderint, ADESSE NOLVISSENT, libertatem perinde competere voluit Senatus, ac ſi directo eſſent manumiſſi. Pertinet igitur SCtum primo *ad omnes latitantes, quos fideicommiſſam libertatem praeſtare oportet L. 26. §. 10. eod.* Sed *latitantes* ſunt ii, qui euocati, edictisque citati a Praetore adeſſe noluerint. *Latitare*

tare enim dicuntur ii, qui fruſtrandi fideicommiſſi cauſa copiam ſui non faciunt. Ita enim colligi licet ex *L. 22. §. 2. h. t.* vbi ICtus: *Cum is, qui fideicommiſſam libertatem praeſtare debet, iuſta ex cauſa abeſt, aut latitat, aut alii praeſentes ſunt, alii ex iuſta cauſa abſunt, nonnulli, fruſtrandi gratia fideicommiſſi, copiam ſui non faciunt.* Quod prioribus verbis *latitare*, in poſterioribus *fruſtrandi cauſa abeſſe*, dicit. Clarius id patet ex *L. 28. §. 1. h. t.* vbi diſtinguuntur *latitare*, & *venire contemnere.* Itaque qui *latitat*, ſemper fraudandi animo id facit. Itaque ap. CICERONEM *pro Quinct. 17. 19. 23.* ſemper adhibetur. At VLPIANVS in *L. LIX. ad Edictum* in *L. 7. §. 4. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* haec in Edicto perpetuo verba interpretans: *Non ſufficit*, inquit, *latitare, ſed eſt neceſſe fraudationis cauſa id fieri. Quid autem ſit latitare, videamus. Latitare eſt, non, vt Cicero definit, turpis occultatio ſui. Poteſt enim quis latitare non turpi de cauſa, veluti qui crudelitatem tyranni timet, aut vim hoſtium, aut domeſticas ſeditiones: animus latitantis quaeritur, quo animo latitet, vt fraudet, an alia ex cauſa.* Quo quidem loco, cum Ciceronem reprehendit, quod *latitare* definierit, eſſe *turpem occultationem ſui*, in eo mihi videtur primo erraſſe. Nam Cicero, vbi id dixerit, non inuenitur, deinde non omnem latitantem, turpem ſui occultationem committere dixiſſe videtur, quod in *Quinctiana loc. laud.* edictum: *qui fraudationes cauſa latitarit*, explicuit. Quid vero? Num igitur VLPIANI auctoritate, *latitare* quis poteſt, fraudationis cauſa, & non fraudationis cauſa? Du-

plici ratione vti poſſum, quo reſpondeam. Poteſt ſane: nempe ex communi loquendi conſuetudine, qua, qui, calumnia quadam timoris ad Praetorem non veniebat, etiam *latitare* dicebatur. Atque id ſane eſt, cur Edictum & apud CICERONEM, & Hadriani PERPETVVM adiecit: *fraudationis cauſa:* ac propterea etiam VLPIANVS tam diligenter ſeparat, ne quis latitare eum exiſtimet, qui timore quodam ſiue falſo, ſiue vero, non reſpondet ad Edictum Praetoris: ſed eum potius, qui conſilium animumque fraudandi ea in re ſuſceperit. Et non poteſt igitur *latitare* dici, qui ſine fraudandi conſilio non adeſt; puta, conſuetudine loquendi legitima, ſiue ICtis propria. Et ſic VLPIANVS idem ipſe in *Lib. V. Fideicommiſſorum* in *L. 28.* §. *1. h. t. latitare* legitima ratione vſurpat, cum dicit: *Nam etſi non latitet, contemnat autem venire:* Et ſane idem VLPIANVS in d. *L. 7. de re iud.* oſtendit, ſi quis ſine fraudandi animo latitet, Edictum effectu carere. Ex quo ſane perſpicitur, *latitationem*, ſi debeat effectum habere, ſemper conſilium fraudandi complecti. Igitur ad omnes latitantes pertinet SCtum, quos fideicommiſſam libertatem praeſtare oportet, ſiue heres ſit rogatus, ſiue quis alius. VLPIAN. *L. 26.* §. *10. laud.* Vnde dubitatum eſt, ſi heres quidem latitet, legatarius autem vel fideicommiſſarius, qui rogatus eſt dare libertatem, praeſens ſit, quid videretur? Reſpondet VLPIANVS §. *11. SCtum deficere, & nihilominus impediri libertatem: proponamus enim*, inquit, *nondum dominium ſerui nactum eſſe legatarium.* Igitur ſerui libertas plane

deſti-

deſtituta omni effectu iacebit? Immo vero conſilium PAVLLI eſt in *L. 27. h. t. hoc caſu principem adeundum eſſe, vt & in hoc caſu libertati proſpiciatur:* quam lectionem ac ſententiam ab emendatione MERILLII, cum aliis argumentis, tum *Baſilicorum* lectione tuetur V. A. BYNKERSHOEKIVS *Obſ. VII, 20.* Sed non ſolum in hoc SCtum incidunt primo omnes *latitantes*, ſiue qui fruſtrandi fideicommiſſi gratia non adſunt: Verum deinde etiam comprehenduntur omnes ii, qui edictis vocati *venire contemnunt*. Neque enim, ait ICtus, *haec verba: ADESSE NOLVISSENT, vtique exigunt, vt latitet is, qui libertatem praeſtare debebit;* ſatis eſt, *ſi venire contemnat*, ſi Praetoris edicto contumax non pareat. Nam latiſſime patent SCti verba: ADESSE NOLVISSENT. Qui autem venire contemnit, Praetoris edicto citatus, contumax eſt: Namque auctore HERMOGENIANO in *L. 53. §. 1. D. d. re iudic. contumax eſt is, qui tribus edictis propoſitis vel vno pro tribus, quod vulgo peremptorium adpellant, litteris euocatus praeſentiam ſui facere contemnat.* Namque in hoc noſtro SCto, qui adeſſe noluiſſet, & venire contemnat, in ea cauſa eſt, vt iure meritoque, perinde habeatur, ac ſi fruſtrandi fideicommiſſi gratia adeſſe noluiſſet. Vterque autem & qui *latitat*, & qui *venire contemnit*, cum rem inaeſtimabilem hominis libertatem, quantum in ipſo eſt, fruſtrari intendat: quo iſtius improbi conſilii poenam ferat, libertum ex hoc SCto perdit. Cum enim liberti fideicommiſſarii, vt ſupra diximus, ſi a fiduciario herede vel legatario eſſent manumiſſi

miſſi ſine tergiuerſatione, eorum liberti fierent: hoc SCto cautum eſt: VT, SI, CAVSA COGNITA, PRONVNCIASSET PRAETOR LIBERTATEM HIS DEBERI, EODEM IVRE STATVS SERVETVR, AC SI DIRECTO ESSENT MANVMISSI: Qua ſanctione efficiebatur, vt ipſo iure fieret libertus, neque patronum in viuis haberet, ſed ad familiam defuncti pertineret. Quare fiduciarius nec ius patronatus, nec eiusdem impuberis liberti tutelam retinebat. Iam quaeritur, *ſi eum ſeruum, cui erat fideicommiſſa libertas relicta, diſtraxerit is, qui erat rogatus: emtor quidem latitet, is autem, qui rogatus erat; praeſens ſit; an Rubriano SCto locus ſit, & ait Marcellus Rubrianum locum habere, quia abeſt is, quem manumittere oportet.* VLPIANVS *L. III. Fideicommiſſorum:* in *L. 28. pr. h. t.* Ratio dubitandi haec eſt, quod non ipſe ille, qui emit, rogatus eſt, manumittere, ſed heres aut legatarius, qui vendidit. In *Rubrianum* autem proprie tantum incidunt ii, qui rogati ſunt, vt ſupra docuimus. Quod autem reſpondet ICtus Rubrianum locum habere, id hanc cauſam habet, quod ab venditore emtor hac conditione accepiſſe videtur, vt e fideicommiſſo manumitteret, libertumque adeo haberet: atque adeo idem ius in ipſum eſt translatum, voluntate ipſius & ſerui, quod habuerat is, qui rogatus erat. Intelligitur enim facile, ſub conditione manumittendi venditum fuiſſe; quod, niſi ſciſſet, manumitti oportere ſeruum, ſed bona fide pro ſeruo ſuo emiſſet, is ſi abſens eſſet, non *Rubriano SCto*, ſed *Daſumiani capiti ſecundo* locus foret, quae ſpecies eſt in *L. 29. h. t.*

vt

vt mihi videtur, & poſtea diligentius explicabitur. Quare cum haec lex manumittendi adiecta venditioni eſſet, & petita libertate, latitaret emtor, perinde habebatur, ac ſi ipſe rogatus fuiſſet; vtque malae fidei ſuſtineret poenas, e *Rubriano* SCto ſeruus eſt liber, eodem iure, ac ſi directo fuiſſet manumiſſus, emtorque iure patronatus excidit. Ceterum inuitus alienari ſeruus iſta conditione non poteſt, ne deterior eius conditio reddatur, qui patronum magis habere optet eum, qui rogatus eſt manumittere. *L. 23. §. vlt. L. 34 D. h. t.* Atque illi quidem, qui decreto Praetoris, abſentibus ſine iuſta cauſa iis, qui libertatem fideicommiſſariam deberent, manumiſſi erant, quoniam patronum non habebant, erant *liberti Orcini:* quemadmodum AFRICANVS in *lib. IX. Quaeſtionum* in *L. 49. h. t.* *Si is, cui ſeruus legatus eſt, rogatus manumittere, latitet: orcinum fieri libertum* reſpondit; *idem fore, & ſi non legatarii, ſed heredis fideicommiſſum eſſet. Sed etſi non omnium, ſed quorundam heredum fidei commiſſum ſit, aeque dicendum, orcinum fieri:* ad quam Legem vid. IAC. CVIAC. *ad African. Tract. IX. p. m. 612.* Ita quoque tradit VLPIANVS *L. V. Fideicommiſſorum:* in *L. 30. §. 12. D. eod.* Dubitatum fuit, vtrum, ſi ſeruo ſub conditione libertas fideicommiſſa data eſſet, ſi per ſeruum non ſteterit, quo minus conditioni pareret, an Rubriano igitur ea in cauſa SCto locus foret; Reſpondit PAVLLVS *L. III. Fideicommiſſorum* in *L. 33. §. 1. h. t. locum eſſe, nec referre, in dando, an in faciendo, an in aliquo caſu conditio conſiſtat. Immo*, inquit, *etiam amittit libertum.*

bertum heres, ſi conditioni impedimentum fecerit. (Rubriano enim SCto dolus malus fiduciariorum coërcetur.) *& ſi filius defuncti ſit: quamuis alio iure habiturus ſit libertum.* (h. e. Etiamſi alio iure vti poſſit, vt libertum in ſuam poteſtatem recuperet. v. c. SCto Claudiano, quo ingrati liberti in ſeruitutem reuocantur.) *Nonnullam enim*, pergit, *& hic poenam patitur. Nam etſi in ſeruitutem petierit, aut capitis accuſauerit; perdit bonorum poſſeſſionem contra tabulas.* Igitur, ſi eiusmodi actione libertum pulſauerit, quo eum aut in ſeruitutem retraheret, aut vlciſceretur, & cauſa ceciderit, aliam ei poenam infligendam exiſtimat, vt, deinde, cum defuncto alioqui liberto bonorum poſſeſſionem contra tabulas habere potuiſſet, nunc eam perdat. cf. *L. 9. D. de bon. libert. L. 3. §. 9. eod. L. 14. eod.* Cum vero deinde peti oporteret apud Praetorem fideicommiſſam libertatem, ſaepenumero autem fieret, *vel per ignauiam, vel timiditatem eorum, quibus relinqueretur fideicommiſſa libertas, vel per ignorantiam iuris ſui, vel per auctoritatem ac dignitatem eorum, a quibus relicta eſſet, vt vel ſerius peteretur, vel in totum non peteretur fideicommiſſa libertas:* vtrum id obeſſe libertatibus debebat? Reſpondet VLPIANVS *L. V. Fideicommiſſorum*, in *L. 26. §. 1. h. t.* non obeſſe oportere. Sed deinde conſtitutionibus principum videtur introductum fuiſſe, vt, ſi, quibus fideicommiſſaria libertas relicta eſſet, ii petere neglexiſſent, in ſeruitute manerent. *L. 4. C. de fideicomm. libert.* Ipſi enim id ſibi imputare debebant: &, qui non petiit, libertatem contemſiſſe videbatur.

Atque

Atque ſic quidem dolus malus ſatis coërcitus erat eorum, qui manumittere rogati, & a Praetore euocati adeſſe noluiſſent, libertatique fraudem facere laboraſſent. Verum tamen non ſatis proſpectum videbatur libertati fideicommiſſariae, quando, quorum fidei libertas ſeruorum mandata & commiſſa erat, iuſta ex cauſa aberant, vt, quamdiu ii abeſſent, nec edictis vocari nec manumittere eos poſſent. Iniquum videbatur, hos eodem iure cenſeri, quo, qui dolo malo vocati adeſſe noluiſſent, neceſſe erat vti: ſed durum etiam, libertate fideicommiſſa tamdiu ſeruos carere oportere. Deinde SCTO RVBRIANO ii tantum comprehenſi erant, qui accepto aliquo honore e teſtamento, manumittere rogati eſſent, idque in fidem ſuam recepiſſent: nihil autem cautum de iis, ad quos eiusmodi ſeruus, e fideicommiſſo manumittendus, perueniſſet, quique bona fide ipſum pro ſeruo poſſiderent. Neque aequum erat, libertatem hac in cauſa iacere, neque humanum, qui bona fide, & iuſto titulo, interdum etiam oneroſo, vt aiunt, ſeruum poſſiderent, eos & pretium & libertum perdere: Itaque, paullo poſt SCTVM RVBRIANVM, Senatus, Cos. quodam DASVMIANO, ſine dubio ſuffecto, referente, vnde SCTO DASVMIANO nomen eſt, decreuit, VT SI EX IVSTA CAVSA ABESSET HERES, QVI FIDEICOMMISSARIAM LIBERTATEM DEBERET, ET HOC PRONVNCIATVM FVISSET, PERINDE LIBERTAS COMPETERET, ATQVE SI, VT OPORTET, EX

CAVSA

CAVSA FIDEICOMMISSI MANVMISSVS ESSET, auctore MARCIANO ICto in *L. 51. §. 4. D. de fideic. libertat.* *Et quia heredibus tantum cautum erat*, pergit ICtus, *adiectum eſt eodem SCto: VT QVEMCVNQVE FIDEICOMMISSAM LIBERTATEM EX QVACVNQVE CAVSA DEBERE PRONVNCIATVM FVERIT, ET EVM EOSVE ABESSE CONTIGERIT, PERINDE HABERETVR, ATQVE SI, VT OPORTET, EX CAVSA FIDEICOMMISSI MANVMISSVS ESSET.* L. 51. §. 6. *eod.* cf. PAVLL. *Sent. IV*, 13. Adieci in ipſo SCti priori capite HERES, quia ICtus §. 6. dicit: *quia heredibus tantum cautum erat, adiectum eſt &c.* Itaque primo capite, tenebantur HEREDES, h. e. qui, capto aliquo honore e teſtamento, ipſi rogati eſſent manumittere, qui HEREDES dicuntur §. 6. *Quia heredibus tantum*, illis verbis, *cautum erat*, inquit ICtus. HEREDES autem dici eos etiam, qui legatum tantum aut aliud quid mortis cauſa capiunt, vulgare eſt: inprimis autem hic dicuntur, quod ſeruus iis legatus eſt, vt manumitteretur. Similiter in multis Iuris noſtri locis poſitum id vocabulum reperitur: v. BRISSON. *de V. S.* hoc. vocab. Hiſi IVSTA EX CAVSA abeſſent, idque pronunciatum a Praetore decretumque fuiſſet, cautum eſt, vt libertas perinde competeret ſeruo, ac ſi ex cauſa fideicommiſſi manumiſſus eſſet. Quo quidem &, ne, abſentibus heredibus, in ſuſpenſo haereret libertas ſeruorum fideicommiſſa, proſpiciebatur; &, cauebatur heredibus, *L. 51. §. 6.*

qui

qui iuſta ex cauſa abeſſent, vt iis ius patronatus ſeruaretur integrum eadem lege, ac ſi ipſi ex cauſa fideicommiſſi ſeruos iſtos manumiſiſſent. ABESSE is intelligitur, qui a tribunali abeſt *L. 51. §. 4. h. t.* *Abeſſe* autem *iuſta ex cauſa* dicebantur ii, *qui non habebant iniuſtam cauſam abſentiae* VLPIANVS *L. V. Fideicommiſſ.* quo quidem libro de *SCto Rubriano* atque *Daſumiano* tractauit, vt intelligitur e fragmentis eiusdem libri: hanc autem interpretationem ad *Daſumianum* pertinere, inde mihi colligere iure quodam meo videor poſſe, quod interpretatur verba, quae expreſſa in eo SCto fuere; in *L. 28. §. 5. cum ſufficiat*, pergit, *quod non in fraudem libertatis abſint, quo magis videantur ex iuſta cauſa abeſſe. Ceterum non eſt neceſſe, vt reip. cauſa abſint. Proinde ſi alibi domicilium quis habeat, alibi petatur libertas fideicommiſſaria, dicendum eſt, non eſſe neceſſe, euocari eum, qui fideicommiſſam libertatem debere dicitur: quia etiam abſente eo, ſi conſtiterit libertatem deberi, pronunciari poteſt iuſta de cauſa eum abeſſe; nec libertum perdit. Namque eos, qui apud ſedes ſuas & domicilium ſuum ſunt, nemo dubitabit ex iuſta cauſa abeſſe.* Prius ergo caput Senatus conſulti cum cauiſſet *heredibus*, qui, accepto lucro ex teſtamento, ipſi rogati manumittere, fideicommiſſariam libertatem deberent; & plures tamen eorum eſſent ſpecies, a quibus libertas fideicommiſſaria praeſtanda eſſet: altero capite de his quoque adiectum eſt. *L. 51. §. 6. h. t.* Hoc autem fuit: VT QVEMCVNQVE FIDEICOMMISSAM LIBERTATEM EX QVACVMQVE

CAVSA DEBERE PRONVNCIATVM FVERIT, ET EVM EOSVE ABESSE CONTIGERIT, PERINDE HABEATVR, ATQVE SI, VT OPORTET, EX CAVSA FIDEICOMMISSI MANVMISSVS ESSET. ibid. Quo quidem in capite obſeruanda eſt lectionis diverſitas, quae in quibusdam & ſcriptis & impreſſis libris reperitur: *vt quicumque fideicommiſſam libertatem deberet, &, ex quacumque cauſa, pronunciatum fuerit, eum eosue abeſſe, perinde* cet. Jam videndum eſt, cui lectioni veritas, atque ratio ſua conſtet. Illa ſuperior tam clara eſt & euidens, vt nec difficultatem, nec obſcuritatem habeat vllam. Haec autem eſt eiusmodi, vt commodam ſententiam efficere non poſſit. Nam hoc quidem, quod indicat, *ſi pronunciatum fuerit, qui fideicommiſſam libertatem deberent, ex quacumque cauſa eum eosue abeſſe:* hoc, inquam, eſſet eiusmodi, vt tolleret *SCtum Rubrianum:* quod ſine iuſta cauſa abſentibus hanc poenam irrogabat, vt liberto ac iuribus patronatus exciderent, &, quibus libertas fideicommiſſaria deberetur, iis eodem iure ſtatus ſervaretur, ac ſi directo eſſent manumiſſi. Deinde etiam tolleret prius caput *Daſumiani*, quod, ſi iuſta cauſa abeſſent fiducarii, liberos eſſe quidem ſeruos iubebat, ſed fiduciariis tamen ius patronatus ſeruabat. QVAECVNQVE CAVSA nihil eſſe poteſt aliud, niſi, ſiue iuſta, ſiue iniuſta cauſa. Quid autem iniuſta cauſa aliud, niſi fraudandae libertatis conſilium eſt? Nam, quod putabat Vir doctus, EX QVACVMQVE CAVSA

SA hoc in loco eſſe interpretandum iuſta de cauſa, e *L. 26. h. t.* id ſane Latinae linguae rationi aduerſatur. Sed largiamur hoc, etſi largiendum non eſt: eſto, *quaecumque cauſa* ſit *iuſta:* quid differet poſterius caput SCti a priori? Itaque fit, vt altera lectio huic longe ſit multumque praeferenda. Haec enim lectio hanc SCto vim poteſtatemque attribuit, vt, ſi quis fideicommiſſam libertatem EX QVACVNQVE CAVSA deberet, atque eum eosue abeſſe, pronunciatum foret, tunc eodem iure libertas competeret ſervo, ac ſi ex cauſa fideicommiſſi manumiſſus eſſet. Debetur fideicommiſſa libertas multis ex cauſis, ſeu, vti loqui mos eſt, titulis: ſiue ex cauſa heredis inſtitutionis, ſub qua continentur & legatarii ceterique, qui ipſi, cum aliquid ex teſtamento cepiſſent, rogati eſſent manumittere: de qua in priori capite cautum fuit, vti docuimus: ſiue ex alienatione, cum is, qui libertatem fideicommiſſam dare debebat, ſeruum alienauit, lege hac adiecta, vt ex fideicommiſſo manumitteret: ſiue etiam ex cauſa ſucceſſionis. *Ex quacumque* igitur *cauſa*, praeter heredis titulum, quis debeat, libertas, ſi abſit, competit ea lege. In *SCto Iunciano* in *L. 28. §. 4.* eadem dictio expreſſa reperitur, *ſi quis ex his, qui fideicommiſſam libertatem ex quacumque cauſa deberent ſeruo* cet. Deinde cum priori SCti capite de his decretum ſit, qui *heredes* cum eſſent, iniunctum libertatis fideicommiſſum praeſtare deberent, vt diſerte adfirmat VLPIANVS *§. 6. L. 51.* & dicat de ceteris adiectum eſſe: ſane ſummam rationem habere, videmur,

mur, ſi altero capite ſucceſſores emtoresque comprehenſos fuiſſe dicamus. Iam dicat aliquis: de his video: Sed SCti verbis comprehenſum non eſt, an iuſta etiam cauſa abeſſe debeant ii, quibus libertatis datio fideicommiſſi nomine iniuncta ſit; cum ſolummodo cautum legatur, SI EVM EOSVE ABESSE CONTIGERIT. Verum quod ABESSE CONTIGERIT dicitur, ſine *cauſae* mentione, id ſatis profecto indicat, non quaeri in his, fraude conſilioque fruſtrationis, an ſine fraude, iuſta an iniuſta cauſa, abſint. Confirmatur hoc *L. 29. D. h. t. hic non diſtinguitur*, inquit ICtus, *iuſta an iniuſta cauſa abſit*. Atque his quidem omnibus diſputatis, facile eſt ad intelligendum, quibus in rebus differat a *Rubriano Daſumianum*. Nam *Rubriano* cautum fuit de iis, qui libertatem fideicommiſſam cum deberent, euocati ADESSE NOLVISSENT, *dolo malo*, libertatis fruſtrandae aut differendae cauſa, ſiue in *fraudem libertatis L. 28. §. 5. Daſumianum*, de iis, qui IVSTA EX CAVSA ABESSENT, *non in fraudem libertatis*. Illo coërcentur *fraus & dolus malus* erepto liberto atque iure patronatus. Hoc tantum modo ſubuenitur libertati fideicommiſſariae, ſi iuſta cauſa fiduciarii abſint, ſeruato liberto atque iure patronatus. Deinde vtrumque hoc SCtum pertinet ad *ſeruos hereditarios*, quibus fideicommiſſa libertas relicta eſt: in quo differt a *SCto Iunciano L. 28. §. 4. h. t.* quod ſeruis non hereditariis, quibus libertas fideicommiſſa debetur, proſpexit. Quibus quidem rebus puto ſatis diſtinctam vtriusque ſpeciem videri oportere

tere, quam HEINECCIVS V. C. in *Hiſt. Iur. p. 248.* non diligenter ſatis ſecreuit ac declarauit. Reſtat, vt ſpeciem, a PAVLLO *L. III. Fideicommiſſorum* tractatam, & in *L. 29. D. h. t.* ſeruatam, explicemus. Supra enim profeſſi ſumus, eam ad *SCtum Daſumianum* pertinere. Ait ICtus: *Si quis poſtea, quam in ea cauſa eſſe coeperit, vt ex fideicommiſſo manumitti oporteret, alienatus ſit: is quidem, cuius interim ſeruus erit, manumittere cogetur; Sed hic non diſtinguitur, iuſta, an non iuſta cauſa abſit: omnimodo enim ei libertas ſeruatur.* Sed antequam ad explicandam ipſam ſpeciem ingrediamur, neceſſe erit de lectione ipſa quaedam mouere. Vulgo & in libris adeo ipſis Florentinis pars poſtrema legitur: *omnino enim libertas ei ſeruatur*, vt ad ſeruum e fideicommiſſo manumittendum reſpectum habeat. At in Graecis, Βασιλικ. *Lib. XLVIII. t. IV. c. 29.* ita explicatur: *omnimodo enim ei libertus ſeruatur:* Καὶ ἀπελεύθερος αὐτῦ ἔςαι V. CVIAC. *Obſ. XVIII, 19.* MERILL. *Obſ. VI, 24.* Iam equidem ſcio, quam parum fidei tribui a nonnullis doctis Viris ſoleat Graecis in iure Ciuili, MERILL. *Obſ. l. c.* neque ſum neſcius, quantam autoritatem nactus ſit Codex Pandectarum Florentinus, quem ita extollunt, vt omnibus ceteris Codicibus omnem vtilitatem praeſtantiamque abiudicent, propterea quod omnes alios ex illo, tanquam vnico exemplari, expreſſos arbitrantur. Verum ego tamen, veniam impetraturum, confido, ſi, quod iure meo facio, ab iſta ſententia diſceſſero. Neque enim ego exiſtimo Graecos Interpretes tam ignaros fuiſſe Iurispru-

dentiae linguaeque Romanae, vt recte conuertere atque intelligere Pandectas non poſſent. Immo vero, Iurisprudentia Romana tum inprimis adhuc obtinente, Latinaque lingua ICtis adhuc familiariter vſitata, eam reprehenſionem ſuſtinere debere non videntur. Deinde credibile eſt, qui Ius Romanum, Imperatorum iuſſu, collectum Graecam in linguam conuerterent, eos integrioribus, quam nunc ſunt, emendatioribusque Codicibus, ex Imperatoris bibliothecis, vel ſcriniis, ſuppeditatis vſos fuiſſe. Itaque, quando tam diuerſam ſententiam reddunt, vt lectioni noſtrae conuenire nulla ratione posſit, quis eſt, qui dubitet, aliam lectionem inueniſſe? Quod ſi vero iſta lectio, quam videntur reperiſſe, eſt eiusmodi, vt primo, ſententiam commodiorem conuenientioremque reddat, ſi praeterea adparet ratio, vnde lectio vitium ceperit: tum vero profecto nemo tam barbarus, aut plumbeus erit, quin vulgatam inde emendandam exiſtimet. Iam vero vtrumque in hanc Legem, & verba, de quibus agitur, conuenire, noſtrum erit, docere. Ac primo quidem, quanto conuenientius, & ad ſententiam accommodatius, ſit id, quod in Graecis eſt, quam quod in Latinis, adparebit tum, cum ipſam ſpeciem enarrauerimus. Vt hoc vnum tantum commemoremus, conſtructio non procedit, in vulgata lectione, neque facilitatem aut perſpicuitatem habet. Nam verba: *ſed hic non diſtinguitur iuſta, an non iuſta cauſa abſit:* referuntur ad emtorem; poſtrema autem ſine vllo indicio ad ſeruum alienatum pertinent. Facilis autem lapſus librariis fuit;

vt

vt pro *libertus* ſcriberent *libertas*. Religio autem Codicis Florentini, etſi apud me non eſt plane nulla, immo permagna, tamen ei infinitam auctoritatem ſtatuere non poſſum, vt librarios errare non potuiſſe arbitrer. Neque vero omnium illum eſſe ἀρχέτυπον, perſuadebunt mihi omnia argumenta ANT. AVGVSTINI & BRENCMANNI, qui plus tribuam iis, quae protulerunt Viri docti WIELING. tum in *praef. Lect. Iur. Ciu.* tum variis in locis, SCHWARZIVS in *Diſſ. an omnia Pandect. exempla e Florent. man.* Ex his Grammaticorum cotibus cum tandem enauigauerit oratio, ſpeciem nunc conſtituere, cauſamque oportebit. Eſto autem huiusmodi: Is, qui rogatus erat manumittere, poſtquam ſeruus in ea cauſa eſſe coeperat, vt manumittendus eſſet, eum alienat: vendit ignoranti conditionem ſerui. Petit ſeruus, apud Praetorem, libertatem fideicommiſſam. Abeſt is, cuius nunc ſeruus eſt. Quaeritur, an manumittere debeat. Cauſa dubitandi haec eſt, quod non ipſe rogatus eſt manumittere, adeoque fideicommiſſum ipſi iniunctum non eſt: ſed a venditore ea lege & eo conſilio accepit, non, vt liberto, ſed, vt ſeruo vteretur. Reſpondet ICtus eum manumittere cogendum: *quia, quoties fideicommiſſaria libertas relinquitur efficaciter: in ea cauſa eſt, vt neque alienatione, neque uſucapione extingui poſſit, ad quemcunque enim peruenerit is ſeruus, cui fideicommiſſa libertas relicta eſt, cogi eum manumittere, et ita eſt ſaepiſſime conſtitutum*, inquit VLPIANVS in *L. 24. §. 21. h. t.* Iam quod is, qui libertatem dare debet, abeſt, quaeritur, vtrum neceſſe ſit, iuſta

de cauſa abeſſe: atque adeo, ſi non iuſta de cauſa abſit, ſeruo ſtatus eodem iure ſeruetur, ac ſi directo eſſet manumiſſus, e *SCto Rubriano:* an vero ad *SCtum Daſumianum* pertineat. Dicit: non diſtingui, *iuſta, an non iuſta cauſa abſit.* Pertinet enim ad alterum *SCti Daſumiani* caput, quo iis cavetur etiam, qui quacumque ex cauſa deberent, cum heredibus proſpectum eſſet priori capite: neque vero, ſecundum caput, ſi *iuſta de cauſa abeſſent*, ſed ſi ABESSE EOS CONTIGISSET, iubebat, *perinde haberi atque ſi ex cauſa fideicommiſſi manumiſſus eſſet:* Oſtendimus enim ſupra altero capite comprehenſos fuiſſe eos, qui, ex quacumque cauſa deberent libertatem, cum non ipſi rogati manumittere, ſed alio titulo, vt loqui ſolent, ſiue ſucceſſionis vniuerſalis, ſiue ſingularis nomine ſeruum accepiſſent. Nam cum libertas fideicommiſſaria nullo modo extingui poſſet, ſed ab omnibus deberetur, ad quos ſeruus perueniſſet is, cui relicta erat: ſane & omnes ceteri manumittere tenebantur. Sed quoniam tamen huiusmodi, vt ita dicam, poſſeſſores non ipſi fidem ſuam dediſſent, neque adeo a teſtatore eſſent honore vel hereditatis vel legati ornati, ſane horum debebat eo in genere lenior eſſe mitiorque conditio. Itaque cum illi, ſi iuſta de cauſa abeſſent; e *SCti Daſumiani* capite primo, libertum ac ius patronatus retinerent; ſin iniuſta, e Rubriano, vtrumque perderent: hi ex altero capite, SI CONTIGISSET, perinde habebantur, ac ſi ex cauſa fideicommiſſi manumiſiſſent. Neque adeo intererat ſiue iuſta, ſiue iniuſta de cauſa abeſſent.

His

His omnibus recte ponderatis, ICti ſententia eſſe videtur, cum nihil referat ex altero capite *SCti Daſumiani*, qua quis cauſa non adſit, *libertum* ei, cuius interim ſeruus fuit, *omnimodo ſeruari.* Itaque ſic omnis illius reſponſi ſumma haec eſt: *is quidem manumittere cogetur*, ſed, ſi abſit, non diſtinguitur, nulloque diſcrimine habetur, qua cauſa abſit: ſed libertus ei omnimodo ſeruatur, etiamſi iniuſta de cauſa abſit. Iam vero conſecutionem videbimus, quae eſſet, ſi lectio vulgata retineretur. ICtus dicit ex ea lectione: In hac ſpecie *SCti Daſumiani: cum alienatus ſit ſeruus, qui in ea cauſa eſt, vt ex fideicommiſſo manumitti debeat*, is, cuius interim ſeruus erit, manumittere cogitur, nulla ratione habita, ſiue iuſta, ſiue iniuſta cauſa abſit: *Omnimodo enim ei libertas ſeruatur*, h. e. omni ratione enim eiusmodi ſeruus ad libertatem eſt perducendus, ſiue iuſta ſiue iniuſta cauſa abſit is, cuius interim ſeruus erit. Atque ita igitur procedit ratio: Manumittendus eſt ſeruus, ſiue iuſta ſiue iniuſta cauſa abſit: omnino enim eſt manumittendus. Rationes in orbem duceret ICtus? Egregie ſane. At quanto melius collectio fit: Manumittendus eſt, ſiue iuſta ſiue iniuſta cauſa abſit; neque vero ei, cuius interim ſeruus fuit, libertus factus eripitur. Sed quoniam aduerſus hanc noſtram lectionem inprimis Grammaticis rationibus vtitur HEINECCIVS *Vir Cel.* e linguae Lat. genio atque conſuetudine ductis, & his a nobis erit ſatisfaciendum. Quis ita loquitur, inquit, *libertus ei ſeruatur?* At ego non video, quid in ea locutione

 contra

SENATVS CONSVLTVM factum eſt, vt *domino occiſo*, *etiam de his libertis*, *quos viuus manumiſerat*, *quaeſtionem haberi liceret*. Ita enim in *L. 10. §. 1. D. ad SCtum Silan.* PAVLLVS *libro ſing. ad SCtum Silan.* *Sub Diuo Traiano conſtitutum eſt de his libertis*, *quos viuus manumiſerat*, *quaeſtionem haberi.* Primo SCTVM fuiſſe dicimus, propterea quod idem eſſe putamus, de quo PLINIVS *ep. VIII, 14. n. 12. ſeqq.* relatum in Senatu commemorat. Afranius Dexter Cos. incertum, ſua, an ſuorum, manu peremtus erat. Itaque conſulebatur Senatus, vtrum liceret de libertis, quos viuus manumiſiſſet, quaeſtionem habere. Nam qui teſtamento manumiſſi eſſent, de iis non erat dubium, quin quaeſtio haberi poſſet, quibus, vti conſtat, eam SCtum Silanianum iam irrogauerat. E quo ſane occaſio ſimul quoque decreti iſtius colligitur. Quod autem SCTVM ad hunc annum reuoco, eius rei cauſas ſatis grandes habere videor. Is, quo occiſo, hoc decretum Senatui placuit, AFRANIVS DEXTER Cos. fuit; & in ipſo adeo Conſulatu interfectus. Iam Conſulatus eius, quamquam in Faſtis ab ONVPHRIO PANVINIO *p. 214.* ad *annum V. C.* IↃCCCL. poſt C. N. LXXXXVIII. reiicitur; tamen hunc ad annum reuocandus mihi videtur. Etenim *Cos. deſignatus* fuiſſe dicitur in PLINII *ep. V, 14.* cum de Lege Cincia referretur. Eadem in cauſa dicitur *Optimus Princeps*, Traianus, quod cognomen demum *a. Chr. 100.* a Senatu accepit. Igitur ante a. *Chr. 100.* deſignatus Cos. Afranius Dexter eſſe non potuit. Iam vero ex *ep.* PLINII *VIII, 14.* cum de eo occiſo refer-

referretur, PLINIVS noſter inter primos ſententiam dixiſſe videtur: vt adeo tunc temporis debeat fuiſſe vnus e Conſularibus. Neque vero PLINIVS niſi *a. Chr. 100.* exeunte Cos. fuit. Itaque Afranius Conſul fuerit *a. Chr. 101.* forte exeunte, & tum quoque hoc a Senatum decretum, neceſſe eſt. De his ſatis. Reſtat vt ipſum illud SENATVS CONSVLTVM cognoſcamus. Placuit Senatui: DE HIS LIBERTIS, QVOS VIVVS MANVMISERAT, QVAESTIONEM HABERI. Antea e *SCto Silaniano* vt iam indicauimus, de ſeruis & de iis, quibus teſtamento data erat libertas, quaeſtio haberi poterat: *L. 13. §. 16. ad SCt. Silan.* Ac de ſeruis quidem, iam antiquiſſimis reip. temporibus videtur introductum fuiſſe: de iis vero, qui per teſtamentum libertate donati eſſent, Silaniano primum conſtitutum. Sed liberti, a viuo manumiſſi, quaeſtioni ſubiici non poterant. Erant enim liberi, ſed etiam ciues R. certe plerique, in quos tam duriter ſtatuere non licebat. Iam vero poterat fieri, vt liberti ii, quibus viuus libertatem dediſſet, non minus necis in patronum perpetratae conſcii participesue fuiſſent: Quid igitur? Eruntne hi omni ea quaeſtione liberi, qua ſola veritas erui poſſet? adeoque, ſi quaeſtio haberi non poteſt, in proximos crimini ſupplicium ſtatui non poterit? Sunt vero eo magis puniendi, quo grauius delinquunt ii, qui accepto ſummo omnium libertatis munere, patronum tamen ſuum vita priuare ſuſtinuere. Nam qui patrono tot neceſſitutudinis vinculis adſtrictus ſit, vt ei multa officia immo

operas

operas praeſtare teneatur, ſi, a quo multis beneficiis obligatus eſt, ei manus adferre conatus ſit, ſi, qui ſibi vitam ciuilem dedit, eum vita ipſe priuare ſuſtinuerit: ſane luce ipſa indignus, ſummis ſuppliciis dignus habeatur, neceſſe eſt. Itaque pro illa ſumma aequitate Princeps Optimus, conſtitui decernique iuſſit, vt, qui tale facinus auſi aduerſus patronum ſuum, viderentur, equuleo ſubiicerentur: *vt quaeſtio de iis haberi poſſet.* Dicitur autem *quaeſtio haberi* non ſolum de iis, e quibus veritas per tormenta exquiritur, ſed de his quoque, qui ſupplicio poſt quaeſtionem adficiuntur. Hoc igitur SENATVS CONSVLTO ſecucuritati dominorum, tot iam aliis Senatus Conſultis munitae, pleniſſime cautum fuit atque proſpectum. Qui enim ſcirent liberti, ſibi quoque ſupplicia ſubeunda eſſe, ſi patronus vi necatus diceretur, eam ob cauſam profecto vitae ſalutique eius, ſumma cura, atque diligentia conſulendum intelligebant. Quemadmodum vero, SCto Silaniano, occiſo domino, quaeſtio non de omnibus quibuscumque ſeruis decreta erat, ſed de his tantummodo, *qui ſub eodem tecto manſiſſent*, vt intelligere, & animaduertere domini caſum, eique ſubuenire potuiſſent: ita ſine dubitatione aequitatis ratio exigit, vt exiſtimemus, hoc quoque SCto, de iis tantum libertis cautum fuiſſe, qui eodem ſub tecto fuiſſent, ſentire, dominumque potuiſſent vindicare.

TRAIA-

TRAIANO AVG. V.
MAXIMO II.
COSS.

A. CHR. CIII. V. C. DCCCLVI.
TRAIANI VI.

Maximam reip. R. ſub Imperatoribus ſuperioribus peſtem, calamitatemque inde profectam fuiſſe, quod accuſationibus delationibusque saeviretur, iam ſupra vidimus. Cum igitur boni principis ſit, vitiis reip. mederi; Traianus calumniatores edictis ac ſuppliciis ſeueriſſimis coërcuerat. Sed reſtabat vnum eo in genere malum, praeuaricatio, ac tergiuerſatio: cui occurrere prudentia ſua Imp. ſapientiſſimus deberet. Neque in eo defuit aut officio ſuo, aut gloriae. Nam & ipſe decretis ſuis, & deinde SCTO ad voluntatem ipſius facto, ſeueritatem *Turpilliani SCti* reduxit. Cuius quidem ſententiam nobis & memoriam ſeruauit in *L. 10. §. 2. ad SCt. Turpill.* PAPINIANVS *L. II. de adulteriis: Triginta dies,* inquit, *repetendi rei D. Traianus vtiles eſſe interpretatus eſt, ex die ſc. quo feriae finitae ſunt; & Senatus cenſuit, eas dies cedere, quibus quisque reum ſuum repetere poſſet. Hoc autem repetendi rei tempus non aliter cedit, quam ſi accuſator quoque potuit adire.* Non dubitaui SCTVM dicere, propterea quod PAPINIANVS dicit: *& Senatus cenſuit.* Nam quamquam non addit, Traiani tempore id decretum interceſſiſſe, tamen, cum paullo

ante ſcripſerit: *Traianus interpretatus eſt:* & ſtatim ſubiiciat: *& Senatus cenſuit:* rationem ſummam videor auctoritatemque habere, qua hoc decretum non alio quam Traiani imperio factum eſſe confirmem. Et conuenit ſane hoc moribus temporibusque Traiani: qui, quae mala facinora eſſent perpetrata ſuperiori aetate, ea ſeuere diligenterque puniuit. Deinde, cum Traianus, qua erat ciuilitate, per reſcripta, aut decreta ſua nollet ius vniverſale induci, neque id fieri recte poſſe, ſciret: quid probabilius eſt ad credendum, quam hoc, eum Senatui auctorem fuiſſe per orationem aut libellos, vt id, quod ipſe aliquando decreto aut reſcripto ſtatuiſſet, a Senatu plenius atque firmius induceretur? Neque vero plane omni probabilitatis ſpecie deſtitutus videar, ſi id factum eſſe dicam poſt illam cognitionem Traiani, in qua PLINIVS ſe ipſum interfuiſſe narrat *ep. VI, 33.* In ea enim potuit accidere id, quod ICtus dicit, vt Traianus *triginta dies vtiles*, qui eſſent, interpretaretur. Accuſauerat tribunus mil. uxorem ſuam Gallittam (*) adulterii cum centurione commiſſi. Caeſar centurionem exauctoratum relegauit. Quo facto maritus contentus, accuſatione neglecta, vxorem domi habuerat, non ſine reprehenſione patientiae. *Admonitus, vt perageret accuſationem*, inquit, PLINIVS; *peregit inuitus:* Eodemque tempore cognitionem Traianus de crimine ſubiectorum codicillorum habuit: a quo cum accuſatores deſiſtere

(*) *Gallitae* nomen feminae eſt ap. GRVTER. *Inſcr. p. LXXV, 5.* hoc epigrammate:

FORTVNAE FLAVIAE
GALLITA TORIA

ſtere vellent, accuſationemque remittere, indulſerat ille petentibus dilationem, exactoque tempore conſederat auditurus. Cumque nihilominus tergiuerſarentur, Imp. denunciari iuſſit heredibus, qui accuſarant, *aut agerent, aut ſinguli adprobarent cauſas non agendi, aut alioqui ſe vel de calumnia pronunciaturum:* h. e. ſi nec egiſſent, nec cauſas ſibi non agendi adprobaſſent, ut abolitionem poſſet indulgere, ſe de ſententia SCti Turpilliani pronunciaturum, eos calumniatos videri, poenamque in eos decreturum. Incidit autem ea cognitio Traiani, e rationibus MASSONI in *vita Plin. p. 63.* in *4. Chr. 103.* atque adeo forte eo tempore, motus tergiuerſationibus, SCto ius Turpilliani reuocari voluit. Pertinet igitur hoc ampliſſimi ordinis decretum, de quo PAPINIANVS loquitur, & ipſa Imperatoris interpretatio ad SCtum Turpillianum: cui noua auctoritas hac Traiani Senatusque conſtitutione acceſſit. *SCtum Turpillianum de abolitionibus praeuaricationibus ac tergiuerſationibus*, in criminibus publ. factum eſt temporibus Neronis, *C. Caeſonio Paeto, & C. Petronio Turpiliano Coſſ. a. V. DCCCXIV. Chr. 61.* Certe ego non video, cur in aliud tempus id reiiciam, curue Cel. HOFMANN. *in Hiſt. Jur. Vol. I. p. 391.* dicat, & aetatem & auctorem SCti ignorari: cum TACITVS *An. XIV, 41.* his ipſis Cos. referat, propter *praeuaricationes* SCtum factum eſſe: QVI TALEM OPERAM EMTITASSET, VENDIDISSETVE, PERINDE POENA TENERETVR, AC SI PVBLICO IVDICIO CALVMNIAE DAMNA-

DAMNATVS. Sed videbimus paullo poſt, idem, quod TACITVS confirmat SCto cautum, id *Turpilliano* in Legibus noſtris tribui. Verum hoc quidem eſt, Tacitum non omnem SCti Turpilliani vim explicuiſſe; ſed quis neſcit, hiſtoricos Legum non adeo curioſam diligentemque narrationem ſibi propoſitam habere? SCti autem ratio in eo quaerenda eſt, quod Nero nollet reum aliquem elabi, praedamque ex eius bonis, ſpe & cogitatione iam deuoratam, ſibi intercipi. Cum vero Tacitus ſummam tantum huius SCti breuiter perſtringat, & in libris Iuris noſtri iſta haec materia admodum confuſe ſit tractata, vt docet BRENCMANN. *de Lege Remm. c. XX. p. 1628. T. III. Theſ. Iur. Ciu.* ſententiam tamen & argumentum SCti facile erit explicare. Iam ſupra diximus id egiſſe de *tergiuerſationibus, praeuaricationibus* & *abolitionibus.* Et quamquam ex TACITI *loco laud.* hoc tantum patet: *praeuaricatoribus* in vniuerſum hoc SCtum obuiam iuiſſe, qui dicit: *Pari ignominia Valerius Ponticus adficitur, quod reos, ne apud praefectum Vrbis arguerentur, ad Praetorem detuliſſet, interim ſpecie legum mox praeuaricando vltionem eluſurus. Additur Senatus conſultum* &c. tamen facile poſſum probare, id etiam ad tergiuerſationem pertinuiſſe. Etenim ſi *praeuaricatio accuſatoris ab reo corruptela eſt,* auctore CIC. *Part. Orat. c. 36.* idque ea ſibi propoſitum habet, vt reus elabatur: non dubium eſt, quin tergiuerſatio quoque in eo SCto incluſa fuerit, cum, qui ab accuſatione deſiſtat, is rei gratia, non minus, quam praeuaricator, iudicium eludere cupiat. Eſt enim

tergiuerſator is, qui poſt ordinatam litem ab accuſatione deſiſtit, citra abolitionem : *L. 1. C. ad SCt. Turpill. Deſiſtere* autem is dicitur, *qui cum aduerſario ſuo de compoſitione eius criminis, quod intendebat, fuerit locutus, & qui intra praefinitum accuſationis a praeſide tempus reum ſuum non peregerit. L. 6. pr. & §. 2. D. ad SC. Turpill. In SCtum Turpillianum incidunt, qui ſubieciſſent accuſatores aut ſubiecti poſtulaſſent, nec peregiſſent reos, aut aliter quam abolitione facta deſtitiſſent. L. 15. pr. h. t. Abolitio eſt deletio, obliuio, extinctio accuſationis* PAVLL. *Rec. Sent. V, 17. 1.* eiusque haec vis eſt, vt non tollat crimen, ſed accuſationem ſolummodo: vtque illa reus a cauſa, accuſator vero a perſequenda accuſatione, liberetur. Eſt autem vel publica vel priuata: *Publice fit ob diem inſignem vel publicam gratulationem L. 8. h. t. vel ob rem proſpere geſtam, L. 9. eod. L. 12. vel a principe vel a Senatu: Priuatim* autem *actore poſtulante L. 10. pr. eod. aut reo, cognita cauſa*, quae pro tribunali, non de plano, impetranda erat. *L. 1. §. 8. h. t. Tertio genere fit ex Lege abolitio, accuſatore mortuo, vel iuſta cauſa impedito, quo minus accuſare poſſet.* Sine abolitione autem deſiſtere poterant, quibuscum de calumnia agi non poterat *L. 12. eod.* Igitur marito vxorem adulterii accuſanti, cum ſuam iniuriam perſequeretur, remittere accuſationem licebat. v. CVIAC. *Obſ. XX, 8.* atque id, ſi a facto diuortio vxorem intra ſexaginta dies vtiles iure mariti accuſaret. v. CVIAC. *Obſ. XX, 25.* Excepti etiam quidam alii erant, tamquam pater adulterum accuſans iure patris.

tris. Praeter exceptos, ſi quis ſine abolitione criminis, ſiue publica, ſiue priuata, deſtitiſſet ab accuſatione, SCto tenebatur. Quia vero abolitio non crimen, ſed accuſationem tantummodo, extinguebat; conceſſa erat rei poſt abolitionem intra XXX. dies repetendi facultas; ſed hoc diſcrimine, hac ratione, vt, privatim abolitione impetrata, ab alio repeti reus poſſet, ab eodem accuſatore non item: *L. 3. §. vlt. D. de accuſ. L. 4. §. vlt. D. ad SC. Turpill. L. 1. C. de abolit.* poſt publicam vero abolitionem, etiam eidem accuſatori intra diem triceſimum reum ſuum repetere liceret *L. 1. C. de gener. abolit. L. 10. laud. D. ad SC. Turpill.* v. CVIAC. *ad Paull. Rec. Sent. V*, 17. Iam vt, qui ſine abolitione deſiſterent, qua poena adfecti ſint e SCto Turpilliano, cognoſcamus: neceſſe erit, iterum Tacitum in conſilium vocare. Nam quamquam in Libris Iuris plura de hoc SCto cognoſcimus, poenam tamen ipſo, SCto tergiuerſatoribus & praeuaricatoribus propoſitam, accipere inde non poſſumus. Nam quo tempore auctores Iuris de SCto Turpilliano ſcribebant, poena eius mutata erat. TACITVS autem ait, *qui talem operam emtitaſſet, vendidiſſetue* (npe, vt praeuaricaretur, aut deſiſteret), *perinde poena teneretur, ac ſi publico iudicio calumniae damnatus.* Eadem igitur in eos poena ſancita eſt, quae in eos decernebatur, qui in iudicio publico calumniam feciſſe, condemnati eſſent. Ea autem, quantum ex eo ipſo loco TACITI adparet, *exilii* vel *relegationis* eo tempore fuit. Narrat enim, Valerio Pontico, propter praeuaricationem, Italia & Hiſpania

nia interdictum fuiſſe: & ex TACITI locis quam plurimis v. c. *An. XIII, 33. 23. 43.* ſatis liquet, eo tempore, ſi qua poena calumniatoribus inflicta ſit, eam potiſſimum fuiſſe exilii aut relegationis. v. BRENCMANN. *de Leg. Rem. c. XIX.* Vnde etiam calumniatores & praeuaricatores & apud VLPIANVM in *L. 43. §. 1. D. de R. N.* & in Edicto Praetoris de his, qui notantur infamia *L. 1. h. t.* coniunguntur. Iam ſupra oſtendi, me in ea ſententia eſſe, vt, Traianum, in iſta ap. PLIN. *ep. VI, 33.* cognitione, triginta eos dies vtiles ex SCto Turpilliano interpretatum, deinde Senatui, renouandi, & ſanctius conſtituendi, SCti Turpilliani, auctorem fuiſſe, exiſtimem. Etenim eo tempore haec cura neceſſaria videtur fuiſſe tanto magis, quod exemplis ſupra commemoratis cognouimus, SCtum Turpillianum, recenti adhuc malorum principum memoria, promiſcue contemni, & accuſatores praeuaricari, deſiſtere, conſueuiſſe: Huc accedebat, quod, niſi hoc SCtum renouari curaſſet Imperator, eius illud Edictum ſeueriſſimum de delatoribus & calumniatoribus facillimo eludi potuiſſet negocio. Nam qui alios deferrent calumniae cauſa, ſi intelligerent, in eo ſe iudicio cauſam obtinere non poſſe, vt calumniae effugerent poenam illam tam duram, accuſatione relicta, ſibi conſulere, & in aliud commodius tempus differre negocium potuiſſent. Itaque cum ſciamus, quam ſeuerus & acerbus Legum atque iuris exactor fuerit hic Imp. id adeo non abhorret, eum SCtum Turpillianum renouari iuſſiſſe, quod praecipue quoque ad calumniatores reprimendos vale-

valeret. Quid vero? poteſt eſſe ad ſententiam meam aliquid validius, quam quod PAPINIANVS refert, ipſum Imperatorem *triginta dies vtiles* interpretatum, & Senatum decreto ſtatuiſſe, a quo tempore dies cederent illi? Etenim quis credat ſolummodo SCtum factum eſſe, quo, quibus a finibus *dies XXX. vtiles* cederent, definiretur, nec aliud praeterea quidquam decreto cautum fuiſſe? Iam, vt ſupra docui, in SCto Turpilliano repetendi rei XXX. dies conſtituti fuere. Sed cum non ſatis eſſet definitum, nec inter ICtos forte conueniret, a quo tempore illi eſſent computandi, continui, an vtiles eſſent: ipſe interpretatus eſt, *vtiles* eſſe, & ab eo die ducendos, quo feriae finitae ſint, propter quas abolitio criminum eſſet conceſſa. Quod quo maiorem vim obtineret, cum SCtum Turpillianum repeti ac referri iuſſiſſet, Senatus conſulto eodem comprehendi voluit, e quo tempore dies triginta vtiles cederent. Dies *vtiles*, vti vel dupondiis notum eſt, *continuis* oppoſiti, eo tantum tempore conſtant, quo experiundi datur copia *L. 1. §. 9. D. de agnoſc. & alend. lib. L. 31. D. ad L. Iul. adult. L. 1. D. de diuerſ. temp. praeſcr.* cum in *continuum* tempus omnes quicumque dies computentur v. SCHVLTING. *Enarrat. P. I. Digeſt. tit. de dilat. p. 258. ſq.* Itaque *vtiles* dies ab eo tempore exordium capere voluit Traianus, e quo feriae finitae eſſent. Senatus autem decreuit, EAS DIES CEDERE EX EO TEMPORE, QVO QVISQVE POTVIT REVM SVVM REPETERE, quo adire, quo experiri licuit: Cui deinde Pa-

 pinia-

pinianus ſententiam adſcribit ſuam. Oſtenſo igitur hoc, Traianum auctorem fuiſſe SCti Turpilliani, denuo ſanciendi, illuſtrandique; reſtat, vt, quid de poena in tergiuerſatores praeuaricatoresque conſtituerit, porro diſpiciamus. Cum vero oſtenderimus, poenam SCti Turpilliani fuiſſe eam, qua calumniatores adficerentur: Traianum autem in calumniatores poenam talionis propoſuiſſe, docuerimus tum, cum de delatoribus ageremus: non videbimur a ratione aut veriſimilitudine aberraſſe, ſi, ipſum quoque SCto, quo de agitur, *poenam talionis* praeuaricatoribus ac tergiuerſatoribus irrogaſſe, contenderimus: inprimis cum praevaricatio crimen ſit calumniae vicinum: & calumniatores facile induci ſoleant, vt praeuaricentur. Certe in praeuaricatores ac tergiuerſatores, Hadrianus Imp. reſcripto ſuo, poenam eandem decerni iuſſit, qua teneretur accuſator, ſi cauſam non probaſſet. *L. 15. §. 2. D. de iur. fiſc.* Qua propter MACER ICtus Turpilliano SCto hanc vim tribuit, *vt ex ſingulis cauſis ſingulae poenae irrogentur. L. 15. §. 1. D. ad SC. Turpill.* quoniam in ſingulis cauſis poena ſtatuitur in tergiverſatorem praeuaricatoremue eadem, quae obtineret adverſus reum, ſi conuictus & damnatus fuiſſet. Ceterum id deinde magis firmum ſanctumque fuit, cum in omnibus accuſationibus inſcriptio ſubſcriptioque in crimen inualuiſſet: in qua *ſe perſeueraturum in crimine ad ſententiam, & ſi non condemnet reum, eandem poenam ſe ſubiturum, quam aduerſarius conuictus ſubire debuiſſet*, promittere accuſator ſolebat. *L. 3. pr. D. de accuſ. & inſcript.*

inſcript. Denique non eſt omittendum hoc, in ſequentibus temporibus SCti Turpilliani fines valde promotos fuiſſe, ita vt etiam calumniam complecteretur.

COMMODO AC CEREALI
COSS.
A. CHR. CVI. V. C. DCCCLIX.
TRAIANI IX.

LEGEM *numariam* tulit: de qua XIPHILINVS e *Dionis Lib. LXVIII. p.* 777. *D.* Hunc autem eam ad annum eſſe conferendam, inde quodammodo conieci, quod XIPHILINVS de ea exponit ſtatim poſt finitum compoſitumque bellum Dacicum: cuius exitus incidit in anni Chr. 105. finem. Inuenimus autem ap. DION. *l. c.* eodem tempore ab Imperatore noſtro Vrbem magnificis aedificiis, Italiam praeclaris operibus, exornatas fuiſſe. Quare Legibus remp. conſtituere, eodem anno, & operibus extollere ciuitatem videri poſſit voluiſſe, quod tum Decennalia imperii Proconſularis celebraret; vt oſtendit PAGIVS *Diſſ. Hypat. P. II. c. XI. p.* 207. In iis enim feſtis ſolennitatibus talia ab Impp. ſuſcepta & inſtituta, idem PAGIVS docet *laud. Diſſ. P. I. c. III.* & *IV.* *Legem* autem hanc *numariam* ita explicat DIO: τὸ νόμισμα πᾶν τὸ ἐξίτηλον ἐξεχώνευσε h. e. *numos omnes attritos, deminutos, leues, conflari iuſſit.* ἐξίτηλος enim, quemadmodum Lexicograhi notarunt, vim habet *euanidi, exoleſcentis.* Vſu autem longo diuturnaque

iactatione, numis cum euaneſcere χαρακτηρ, tum pondus imminui, ſolet. Cum vero inprimis haec principibus, rerumque publicarum adminiſtratoribus, ac magiſtratibus cura debeat eſſe propoſita, quo numi pretio ſuo, quod ipſis auctoritas publ. adſignauit, conſtent: hoc a noſtro Imp. gratiſſimum reip. munus ac ſaluberrimum ſuſceptum eſt, quod omnes numos pondere ac menſura iuſta deſtitutos, exoletos, deminutosque, conflauit. Quando enim iactatur numus, ac pretium iuſtum aequumue non eſt, quoniam nemo ſcire poteſt, quid habeat, quid ſuum ſit; non poteſt profecto fieri, quin magnam inde iacturam fieri neceſſe ſit. Idque ſaepe cognitum eſt in ciuitatibus, atque magnis etiam damnis & incommodis comprobatum. Ciceronis tempore, ſcimus, eam varietatem, difficultatemque rei numariae ciuitatem Romanam obſediſſe, vt Praetores ac tribuni pl. eam edicto communiter compoſito conſtituere neceſſarium ducerent, quando nemo certus eſſe, atque indubius poſſet, quantum ſibi in numis eſſet, inque emendis vendendis, ceterisque rebus contrahendis, facile eſſet decipi, damnoque adfici; cic. *de Off. III, 20.* Quod edictum, communi conſilio ab omnibus Praetoribus atque tribunis conſcriptum, cum M. Gratidianus (*) Praetor ſolus callide, doloque malo, propoſuiſſet, apud populum gratioſiſſimus extitit. A Traiano autem id conſtitui, hoc magis neceſſarium fuit, quod eo tempore multa opera ſubſtructionesque fieri curaret: in quibus operas numis leuioribus repenſare, iniquum videbatur.

QVIN-

(*) de huius *M. Gratidiani* familia v. PERIZON. *Animadv. Hiſt. c. III. p. 98. ſeqq.*

QVINCTIO NIGRO ET T. VIPSANIO APRONIANO COSS.

A. CHR. CXVII. A. V. DCCCLXX.

TRAIANI XX.

SCTVM APRONIANVM, (*) *vt ciuitatibus fideicommiſſae hereditates reſtitui poſſint ac debeant*, quemadmodum ſupra profeſſus ſum, ad Traiani quoque imperium referendum puto. Eius mentio eſt in *L. 26. D. ad SCt. Trebellian.* Cuius meae ſententiae rationem reddam neceſſe eſt, quoniam a Viris doctiſſimis opinionem ſeiungo meam. Sunt enim, qui idem ad D. Marci tempora, vti ὁ πάνυ CVIAC. *ad Iulian.* in *L. 27. pr. ad SCt. Trebell. Recitat. Solenn.* ad *L. 12. D. de Seruitut. p. 188.* ſunt, qui ad Hadriani referri imperium oportere contendant: in quibus nomen profitetur ſuum ICtus in paucis erudítiſſimus, cuius ego ſubtilitatem ac ſcientiam, admirari, quam laudare, facilius poſſim, ANTON. SCHVLTINGIVS ad *Vlpian. fragm. XXII, 5.* in *Iurisprudentia Anteiuſtin. p. 635.* Verum eſt ſine dubio, quod hic Vir Cel. docuit, ante Marci tempora illud decretum fuiſſe oportere, quando, ius eo introductum, iam norit IVLIANVS ICtus in *L. 27.*

(*) Extant etiam duo EDICTA APRONIANA ap. GRVT. *Inſcr. p. DCXLVII*, 6. 7. ſed ea ad poſteriora tempora pertinent. Illuſtrauit ea Conſultiſſ. amiciſſimusque CAR. GODOFR. WINCKLERVS duabus elegantiſſimis Commentationibus.

pr. D. ad SCt. Trebell. qui Marco imperante, ſi non iam deceſſiſſet, certe tamen libros ſuos dudum in lucem edidiſſet: inprimis cum Divi Fratres ſententiam eius laudent, quae eius dicitur *fuiſſe*, non *eſſe* in *L. 17. De iur. patronat.* v. GROT. *de vit. ICtor. II, 6.* Iam porro verum eſt, APRONIANVM Cos. inveniri collega *Q. Arrio Paetino, a. Chr. CXXIII.* ſub Hadriano. Hae rationes idoneae validaeque ſatis ſunt: ſed eaedem tamen etiam meae opinioni fauent. Nam Cos. quoque ordinarius *a. Chr. CXVII.* vltimo imperii Traianei anno, APRONIANVS: vti Faſti Conſulares notaruut. Hic igitur pari lance tenetur & SCHVLTINGII V. C. ſententia, & mea. Sed non dubito prae me ferre audacter, vt ſententia noſtra praegrauet, hoc inprimis momentum facere, quod iam D. Nerua hoc introduxit, vt *ciuitatibus omnibus, quae ſub imperio populi Rom. ſunt, legari poſſet.* VLPIAN. *fragm. XXIV, 28.* Equidem ſcio longe aliud eſſe fideicommiſſum, quod *Aproniano SCto* relinqui conceſſum eſt ciuitatibus ac municipiis, longe aliud legatum: Verum tamen cum in omnibus Neruae inſtitutis non ſolum obſeruandis diligens, ſed in iisdem augendis benignus, fuerit Traiauus, cum Nerua, quod difficilius eſſet, legari poſſe ciuitatibus permiſiſſet; Traianum, quod adhuc fieri non poterat, aequius tamen illo erat, conceſſiſſe, fideicommiſſum vniuerſale iisdem relinqui, ego quidem non dubito. Sed magis id confirmabitur iis, quae poſtea dicentur. Ante SCtum Apronianum ciuitates nec heredes fieri, VLPIAN. *fragm. XXII, 35.* nec praecipere PLIN. *ep.*

ep. V, 7. nec legatum capere VLPIAN. *XXIV, 28.* nec fideicommiſſa hereditas iisdem reſtitui poterat. Verum tamen cum haec omnia paullatim ciuitatibus permiſſa ſint: quibus gradibus eo perventum ſit, age, breuiter videamus. Ac primo de hereditatis inſtitutione ſermo nobis erit habendus. PLINII iunioris Traianique adeo aetate, conſtabat, *nec heredem inſtitui, nec praecipere poſſe remp.* PLIN. *ep. V, 7.* Hereditatis inſtitutio ac praeceptio eodem iure vtitur, quia *praeceptio* ſiue *praecipuum* eſt pars hereditatis, præ ceteris heredibus alicui heredum relicta: Quique adeo *praecipiebat*, eum heredem teſtamento eo ipſo eſſe intelligitur v. BRISSON. *de form. VII, 143. p. 635. ſqq.* Cuius rationem reddit VLPIANVS *fragm. XXII, 5.* hanc, *quoniam incertum corpus eſt, vt neque cernere vniuerſi, neque pro libitu de herede cernere poſſint, vt heredes fiant*, quae poſteriora verba CVIACIVS emendat: *neque pro herede gerere.* Ad aditionem, cretionem, pro herede geſtionem animo ac voluntate omnium opus eſt: quae quidem in municipes, ſubtili iure, conuenire non poterant: quia vniuerſi non poſſunt conſentire. *L. 1. §. vlt. D. de acquir. vel amitt. poſſ.* Denique et hoc municipiis officiebat, quod teſtatoris conſilium circa omnes ac ſingulos non eſt certum: vti VLPIAN. *fragm. XVII, 4.* de perſonis incertis dicit: v. SCHVLTING. in *Iurisprud. Anteiuſt. p. 634.* Saturninus autem, *qui Plinium reliquerat heredem, quadrantem ſuae reip.* Comenſi nempe municipio *deinde pro quadrante praeceptionem quadringentarum millium dederat.* PLIN. *ep. laud.* de quo ipſe

ipſe ait: *Hoc, ſi ius adſpicias, irritum; ſi defuncti voluntatem, ratum ac firmum eſt.* Quid igitur? Non tenebatur ex iure tum obtinente, & ICtorum auctoritatibus, illam praeceptionem reip. dare, quoniam relinqui ciuitati, neque hereditas, neque praeceptio, poterat. Verum tamen iam tum PLINIVS mortui teſtatoris voluntati potius, quam iuri, paruit. *Mihi*, inquit, *defuncti voluntas antiquior iure eſt:* eamque ob cauſam dedit reip. id, quod teſtamento iuſſus erat. Nec dubium eſt, quin plures eo tempore heredes fuerint voluntatum vltimarum tam religioſi obſeruatores, qui etiam reip. darent id praecipuum, quod iusſi esſent. Quare videtur eius iam ſaeculi bonitas in eam humanitatem incubuiſſe, vt, legum naturalivm, & aequitatis, quam ciuilium, & iuris ſtricti, potiorem rationem ducentes, voluntates defunctorum obſeruarent etiam in eo, ſi quid ciuitati hereditatis nomine fuiſſet relictum. Sed tamen nondum ius ſcriptum eam obſeruationem ſanctionibus ſuis munierat: quae poſtea ſuperuenere. Primus gradus factus fuiſſe videtur eo, *quod SCto conceſſum eſt, vt a libertis ſuis inſtitui heredes poſſent:* quam rem prodidit VLPIAN. *fragm. XXII, 5.* cf. *L. un. §. 1. D. de libert. vniu.* vt adeo ante Vlpiani tempora id ab amplisſimo ordine decretum eſſe oporteat: ſed poſt *Legem* tamen *Vectii Libici*, vulgo *Vectibulici*, qua demum libertis reip. ciuitas atque adeo teſtamenti factio conceſſa erat. In quo ſine dubio haec ratio intercesſit, quod iniquum videbatar, ac durum libertos reip. hac intercludere grati animi ſui teſtificatione, vt, a quibus

bus, ſummum inter mortales beneficium, libertatem, accepiſſent, iis ſua bona teſtamento relinquere non poſſent. Quid autem erat, cur hoc amplius negocio iis interdictum eſſe vellet Senatus? cum reip. liberti e Lege *Vectii Libici*, vulgo *Vectibulici*, ciues R. effecti, teſtamenti factionem haberent. Quid porro, quare municipia hoc emolumento carerent, cum, ſi ab inteſtato & ſine heredibus legitimis decesſiſſent liberti, nemo propior eſſet ad ſuccesſionem eorum, quam qui quaſi parentes quidam extitiſſent, patroni, & manumiſſores. *L. 1. p. D. de libert. vniu.* De cetero autem *nec municipia nec municipes heredes inſtitui*, aeuo VLPIANI, poterant, vt ex loco eius laud. patet. Quem honorem tandem, Iure Codicis, cum omnis illa exceptio corporum perſonarumque incertarum iam ceſſaret, conceſſum eſſe, *L. 12. C. de hered. inſt.* conſtat. In ea enim *Leo Imp. Aug. Erythrio P. P.* reſcribit, de iſto iure, quaſi iam conſtituto. Iam de legatis diſpiciendum eſt: a quibus municipia non minus, quam hereditatis inſtitutione, excluſa fuiſſe notum eſt: Nam *corpora* erant *incerta* VLPIAN. *fragm. XXII, 5.* & quaſi perſonae incertae, *incertae autem perſonae legari non poteſt. Id. XXIV, 18.* Verum tamen, quoniam Imperatores ſalubres, & magnifici, decus ciuitatibus, ſub Imp. R. conſtitutis, adferri, opesque adiici, quam maxime cupiebant; eam ob cauſam legata ciuitatibus relicta, confirmari, videntur coepta eſſe. Et quemadmodum in omnibus iis fieri conſueuit, quae contra ſubtilitatem iuris recepta ſunt, vt primo in quibusdam cauſis, certas ob rationes, aliquid ſuſtineretur; cuius rei ex-

exemplum eſt in Codicillis, §. 1. *Inſt. de fideicomm. hered.* quod deinde in adſiduam verteretur iuriſdictionem, donec publica Imperatoris vniuerſalique ſanctione, vel Senatus auctoritate, necesſitatem iuris obtineret: ita non dubium eſt, quin idem hic quoque eueniſſe videatur. Relictum aliquid erat ciuitati inopi, & exhauſtae, probo, honeſtoque conſilio, vt necesſitatibus eius ſubueniretur quodammodo: veluti ſi terrae motu adflicta, incendiis collapſa, aliisque fatalibus euentis eneruata, gemeret: id, quamquam non erat Lege, atque more conceſſum, tamen humanitate, atque aequitate ſtare ratum, paſſos fuiſſe Impp. parum a veritate videtur abhorrere. Iam Lege Falcidia introductum eſſe, vt ciuitatibus legari poſſet, e *L. 1. §. 5. D. ad L. Falc.* arbitratur Ill. SPANHEMIVS *Orb. R. Exerc. II. c. 2. fin.* ſed falſo. Primus enim D. Nerua introduxit, vt ciuitatibus omnibus, quae ſub imperio populi Rom. eſſent, legari poſſet. Poſtea autem idem a Senatu, auctore Hadriano, diligentius conſtitutum eſt. VLPIAN. *fragm. XXIV, 18.* Deinde illud ad collegia licita prorogatum eſt: vt iis etiam legari recte poſſet: idque ſub Diuo Marco factum. *L. 20. D. de reb. dubiis,* qui idem iuris deinde vicis quoque reſcripto, benigna interpretatione, conceſſiſſe videtur; quod ICtus humanitate & aequitate eius commotus, ſenteutia ſua comprobat: *L. 37. §. 1. D. de legat. III.* Illum enim, quin in hac Lege CAIVS intelligat, per *Imperatorem noſtrum,* non dubium eſt, propterea quod, vti docet *L. 9. D. ad SCt. Tertull. & Orphitian.* ſub eo inpri-

inprimis floruit, et commentarios ſuos de iure ciuili ſcripſit. v. SCHVLTING. ad loc. *Vlpian.* laud. in *Iurisprud. Anteiuſt. p. 659.* Idque ius omne Vlpiani aetate certum indubitatumque conſtabat. VLP. *l. c.* & in *L. 121. D. de legat. I.* Quod, quoniam in legatis nulla aditione, nulla cretione, aut geſtione pro herede, opus erat, facilius ac citius, quam in hereditatis inſtitutione, introduci contra ius ſubtile potuit. Iam ad fideicommiſſa proficiſcatur oratio: Quae, quibus ex cauſis nec hereditas, nec legatum peruenire ad municipia poterant, iisdem a municipiis non poterant capi. Nam quamquam fideicommisſis multa erant remiſſa, quae in legatis, atque heredis inſtitutione neceſſaria erant, tamen, cum & in his certum debeat eſſe teſtatoris conſilium, quod in perſonis corporibusque incertis locum habere non poterat, nec eorum facultas municipiis permiſſa erat. Sed quia tamen fideicommiſſum *non ciuilibus verbis, ſed precatiue relinquitur, nec ex rigore iuris ciuilis proficiſcitur, ſed ex voluntate datur relinquentis*, VLPIAN. *fragm. XXV, 1.* cf. *§. 3. Inſt. de legat. L. 16. C. h. t.* facilius in eo eueniſſe puto, quam in in hereditatis inſtitutione, vt, interpretatione ex voluntate defuncti facta, ſiue a ICtis per reſponſa, ſiue a benignis Impp. per reſcripta, in certis quibusdam ſubinde cauſis, fideicommiſſa ciuitatibus relicta confirmarentur. Intercedebat interdum aliquis Imperatoris ſingularis reſpectus, ſiue honoris ſui, ſiue inopiae ciuitatum, qui momentum aliquod, vt fideicommiſſa iſta reſtitui iuberentur, apud Imp. facere poſſet.

Ne

Ne vero quis, me hoc ſine vllius auctoritate teſtimonii iactare, arbitretur, educam teſtem PLINIVM, qui confirmet ſententiam meam. Inſtitutus erat a Iulio Largo heres, iniunctumque ipſius fidei hoc, vt, *perceptis quinquaginta millibus nummum, reliquum omne Heracleotarum & Tianorum ciuitatibus redderet: ita vt eſſet arbitrii* ſui, *vtrum opera facienda, quae* Imperatoris *honori conſecrarentur, putaret, an inſtituendos quinquennales agonas, qui Traiani adpellarentur.* PLIN. *ep. X,* 79. De quo Imp. *ep. ſq.* reſcribit, ita, vt fideicommiſſum illud ratum habeat. *Iulius Largus fidem tuam,* inquit, *quaſi te bene noſſet, elegit. Quid ergo potiſſimum ad perpetuitatem memoriae eius faciat, ſecundum cuiusque loci conditionem ipſe diſpice, & quod optimum exiſtimaueris, ſequere.* Deinde vero, tales ſaepe in ciuitatibus legato fideicommiſſoque honorandis cauſas extitiſſe; colligi quodammodo poteſt e *L. 122. pr. D. de legat. I.* vbi, *ciuitatibus legari* poſſe dicitur *etiam, quod ad honorem ornatumque ciuitatis pertinet.* cf. PLIN. *ep. X,* 79. laud. Neque mihi dubium eſt, quin probi atque honeſti viri plures iam eo tempore, voluntatem teſtatoris ſecuti, reddiderint ciuitatibus, quod rogati fuiſſent. Certe PLINIVS idem ille, Vir aequisſimus, *ep. V,* 7. praeceptionem ciuitati Comenſi reſtituit, voluntati defuncti obſecutus: quamquam ICtorum adſenſum ea in re obtineri poſſe vix ſperaret. Eo enim iam tempore videtur haec ſententia apud bonos inualuiſſe, vt religioſiſſime cuſtodirent heredes defunctorum voluntatem, quam, bonis heredibus, intellexiſſe,

pro

pro iure cenſebatur: qui diligenter ſatis cautum a teſtatore putarent, ſi heredes bene elegiſſet. Itaque etiam PLINIVS, contra ius, ſententiamque prudentum, voluntatem defunctae ſeruauit, *ep. IV, 10.* Nam cum, coherede Sabino, a Sabina heres ſcriptus eſſet; in teſtamento autem ſeruo Sabinae legatum ita adſcriptum eſſet: *Modeſto, quem liberum eſſe iuſſi,* cum tamen nusquam liberum eſſe iusſiſſet; ſeruum in libertate morari ſiuit, & legato frui. Iam igitur neminem puto fore, qui dubitet, etiam eo tempore fideicommiſſa ciuitatibus relicta, ſaepenumero manſiſſe rata: inprimis cum legata Diui Neruae inſtituto ciuitatibus data conſiſterent; quae tamen maiore ſubtilitate ac rigore tenerentur. Proficiſcuntur enim ex teſtamenti iure, quod, Lege XII. conſtitutum, ſummae ſubtilitati adſtringebatur. His gradibus quaſi factis, vſu quodam atque rebus iudicatis, adſcendiſſe mihi videntur primo fideicommiſſa ciuitatium ad ius quoddam, non neceſſarium illud quidem, ſed honeſtum tamen ac permiſſum. Tandem vero ciuitates ad iſtud quoque commodum admiſſae ſunt, vt fideicommiſſa iis relicta iuris necesſitatem adferrent. Idque factum eſt SCTO APRONIANO, vti iam ſupra dixi, Traiani vltimo anno. Intelligendnm autem id eſt de fideicommiſſa hereditate, ſeu vti loqui ſolent Iuris Intt. de fideicommiſſo vniuerſali. Ita enim diſerte dicit VLPIAN. *fragm. XXII, 5. fideicommiſſa hereditas municipibus reſtitui poteſt: denique hoc SCto* (Aproniano v. *Intt.* ad *h. l.*) *proſpectum eſt.* cf. *L. 26. ad SCt. Trebell.* Nam res ſingulae

per fideicommiſſum relictae, videntur iam potuiſſe recte reſtitui, poſt quam D. Nerua Aug. legari ciuitatibus permiſiſſet. Nam quemadmodum fideicommiſſa hereditas, etſi benigniorem faciliorem que naturam habet, quam ipſa heredis inſtitutio, tamen eadem in heredis inſtitutione quaſi in radicibus ſuis niti, & communicare eius conditionem quodammodo videtur: ita fideicommiſſa ſingularia, cum hereditatis naturam non habeant, legatorum in cauſa eſſe intelliguntur, neque aliam vim habere, quam vt quaſi ſint legata fideicommiſſo relicta. Cum igitur legata ciuitatibus dari iuſſiſſet Nerua, quae ſubtilitati formulaeque Iuris ciuilis adligata tenentur, quis dubitet, quin maiori iure res ſingulae fideicommiſſo relictae reſtitui ciuitatibus debuerint, quae aequa voluntatis defunctorum interpretatione nituntur? Traianus ergo Imp. qui omnibus fere Neruae inſtitutis aliquid adſtruxerit, vt ſupra oſtendimus, hoc quoque conſtituiſſe, vt, quod facilius eſſet, fideicommiſſae hereditates ciuitatibus reſtitui iuberentur, non exiſtimabitur? Quid? qui fideicommiſſam hereditatem, certis quibusdam ex cauſis, nonnullis ciuitatibus reſtitui, ſiue paſſus ſit, ſiue iuſſerit, vt antea vidimus: eum in vniuerſum id conſtitui de omnibus, nonne probabile eſt, Senatui imperaſſe? Sed ne ſola probabilitatis coniectura niti videamur, SCti nomen facit, quod a Conſule Aproniano, e more SCta adpellandi, ductum eſt. Vidimus autem ſtatim ab initio, vltimo Traiani anno APRONIANVM (*) faſces tenuiſſe. Quare tene-

(*) Occurrit ap. TAC. *Hiſt. I, 76. Vipſanius Apronianus*

tenemus tempus & annum *SCti Aproniani.* Iam quae ratio inprimis Traianum mouerit, vt a Senatu hoc decretum fieri vellet, diſpiciemus, ſi quidem illud probabili aliqua coniectura, ex eius temporis memoria, conſequi poterimus. Supra iam oſtendi ab Imperatoribus, certe a Traiano, fideicommiſſas hereditates, ciuitatibus relictas, ratas habitas fuiſſe, certis quibusdam ex cauſis. Commemoraui, interdum honorem Imp. ea in re habendum, interceſſiſſe, quo fideicommiſſa iſta ciuitatibus reſtituerentur; exemploque rem comprobaui. Suſpicatus ſum, inopiam, aut alias publicas ciuitatium neceſſitates ab Impp. idem impetraſſe. Euenerat autem paullo ante hoc tempus, vt in Aſia multae ciuitates motu terrae propemodum euerſae fundamentis ſuis collaberentur: quemadmodum teſtimonium perhibent DIO CASS. *Lib. LXVIII. p. 781. ſeqq.* EVAGR. *H. E. II, 12.* Atque in iſta multarum ciuitatium calamitate, ipſe Imp. prope aberat, quin periiſſet. Nam, cum Antiochiae verſaretur, terrae motu concuſſa vrbe, atque in ruinas collapſa, vix aegre viuus, corporis etiam aliqua parte adfectus, euaſit. Itaque cum coram ipſe praeſensque hunc iſtius ciuitatis caſum vidiſſet, de aliarum autem euentis per litteras ac nuncios cognouiſſet, multis multorum atque lamentabilibus querelis pulſatus: non improbabile eſt, eum iniunxiſſe Senatui, vt conſtitueret, licere, ſi quis, humano pioque conſilio, vellet, ciuitatibus fideicommiſſa relinquere. Quod Senatus, aequitate

Africae Proconſul: cuius forte hic ſub Traiano Conſul *T. Vipſanius Apronianus* filius videatur.

tate motus, referente *T. Vipſanio Aproniano*, decreuit. Huius autem SCti ſententiam enarrat *L. 26. ad SC. Trebell.* PAVLLVS *libro ſingulari de SCtis:* quem librum equidem vnum eundemque puto cum eius libris ſing. *ad SCtum Tertullianum; ad SCt. Orphitianum, ad SCt. Silanianum, ad Turpillianum, ad Velleianum, ad SCtum Libonianum*; e quibus fragmenta quae ſint in Digeſtis vid. in WIELING. *Iurispr. reſtitut. p. 211.* Siue potius hos libros ſingulares ad ſingula iſta SCta, exiſtimo, capita eſſe huius *libri ſingularis de SCtis:* e quo *L. 26. ad SCt. Trebeil.* deprompta eſt. PAVLLVS igitur: *Omnibus ciuitatibus*, inquit, *quae ſub imperio populi Rom. ſunt, reſtitui debere & poſſe hereditatem fideicommiſſam, Aproniamum SCtum iubet. Sed & actiones in eas placuit ex Trebelliano transferri; ſed municipes ad eas admittuntur.* Omnibus igitur ciuitatibus, quae ſub imperio populi Rom. ſunt, ex *Aproniano SCto* reſtitui poſſunt, ac debent hereditates fideicommiſſae. *Ciuitates* adpellantur h. L. quae *municipia* apud VLPIAN. *fragm. l. c.* Iam quaeritur, vtrum hic *ciuitates* municipiorum intellectum habeant, an ibi municipia ciuitatium. In quo quidem facile ego certe in eam decerno ſententiam, vt ciuitates omnes quascunque, ſiue coloniae, ſiue municipia, ſiue alius iuris oppida ſint, intelligendas ſtatuam, quibus reſtitui poſſit ac debeat fideicommiſſa hereditas. Nam apud PLINIVM, loco ſupra laudato, reſtituitur ciuitatibus *Heracleotarum ac Tianorum*, quae certe *municipia* proprie non fuerunt. Neque vero morari quempiam debet illud, quod

VLPIANVS l. c. *municipia* vocat. Nam eius aetate, oblitteratis iam atque extinctis municipiorum iuribus, communicata cum omnibus ingenuis in Rom. imperio ciuitate, municipiorum ius, quo ab aliis differebat ciuitatibus, vim auctoritatemque perdiderat ſuam. v. SPANHEM. *Orb. Rom. Exerc. I. c. 12.* Itaque etiam ipſe VLPIANVS in *L. 1. §. 1. D. ad municipal.* auctor eſt, cuiuscumque ciuitatis ciues *municipes* ſua aetate dictos fuiſſe. Sed cum *omnibus ciuitatibus* permiſſum ſit, fideicommiſſam hereditatem reſtituere, excipit, *quae ſub imperio populi Romani ſunt*, ne quis etiam idem tributum iuris putet iis, quae extra Romanum orbem eſſent, neque ad imperium populi R. pertinerent. Cum enim principis munus ſit, horum gerere curam, qui ſuae ditioni parent, nec reſpicere ad alienos populos, inprimis in iis cauſis, quae ſolummodo commodis atque emolumentis ciuium ſuorum debeant inſeruire; hoc ſane SCto alienis externisque ciuitatibus fideicommiſſae hereditatis capiendae facultas dari non debuit. Et quis neſcit, id potiſſimum in admiuiſtranda rep. curari oportere, vt ne opes atque diuitiae extra fines, ad extraneos, poſſint venire? quo permiſſo, maximum damnum reip. detrimentumque adferatur. Porro omnibus imperii R. ciuitatibus *reſtitui debere ac poſſe* hereditates fideicommiſſas ait ICtus: POSSE, quia antea ne licebat quidem ſubtili, atque rigido iure: quamquam, vt ſit, ſaepe committeretur; nunc autem pleniſſima eius rei poteſtas conceſſa eſt. Quod autem ait DEBERE, ſignificat, neceſſitatem iuris adiectam fuiſſe ita, vt, ſi quis heredi-

tatem reſtituere ciuitati rogatus eſſet, in eam hereditatem, ciuitatis nomine, Lege agi poſſet, & reſtituere heres cogendus eſſet. Ac quemadmodum fideicommiſſa primus Auguſtus ad neceſſitatem iuris retraxit, cum antea ſolo pudore ac fide eorum niterentur, qui rogati fuiſſent: ita Traianus, quae adhuc fideicommiſſa vinculis iuris adligata non erant, ciuitatibus relicta, adſtrinxit Legibus. Sed quoniam fiduciarius heres alioqui e SCto Pegaſiano poterat quartam Falcidiam deducere, ſiue retinere, in dubitationem mihi videtur veniri poſſe, an hic quoque de fideicommiſſa hereditate, municipio relicta, ex eo iure Quarta iſta detrahi potuerit. In quo quidem ego eam mihi opinionem amplectendam decreui, vt, quoniam tota haec conſtitutio ſingularem quandam fauoris erga ciuitates ſignificationem prae ſe fert, detrahi non potuiſſe, contendam: quamquam PAVLLVS *L. 1. §. 5. D. ad L. Falc.* docet Falcidiam quoque ad legata municipiis relicta pertinere. Quid vero? cum, qui ſemel iure Civ. factus heres eſt, ſemper maneat heres, neque vlla vmquam ratione efficere poſſit, vt heres in poſterum non ſit: *L. 88. in fin. D. de hered. inſtit.* atque adeo omnibus actionibus obligationibusque hereditariis obnoxius teneatur: non ſolum nullum emolumentum ex hereditate percipiet, quippe deductione quartae Falcidiae excluſus, ſed etiam incommodis ac damnis multatus abibit. Quis hereditatem eiusmodi adeat, e qua non modo lucrum nullum, ſed detrimentum adeo, in rem ſuam redundaturum ſciat? Proſpexit ei rei SCtum Trebellianum, quod, reſtituta

ſtituta a fiduciario hereditate, omnes actiones transfert in fideicommiſſarium, quia vnicuique damnoſam eſſe fidem ſuam non oportet. PAVLL. *Rec. Sent. IV. 2. 1.* non quidem, vt rectae actiones ac ciuiles ab herede abeant, quod fieri per iuris rationem nequit; ſed, vti vtiles fideicommiſſario, & in fideicommiſſarium, dentur a Praetore §. 4. *Inſt. de fideic. hered. L. 1. §. 1. D. eod.* heres autem ſcriptus, a creditoribus actione pulſatus, exceptione, v. c. reſtitutae hereditatis, a Praetore data, tutus ſit *L. 1. §. 1. D. h. t.* vid. BRENCMANN. *de Heuremat. Modeſtini c. III.* & SCHVLTING. *Iurispr. Anteiuſt. p. 390.* Itaque actiones ex Trebelliano Senatus Conſulto in ciuitates traductae ſunt, vt actiones iis & in eas darentur, vt & agere & conueniri poſſent. *Placuit*, inquit, *ICtus actiones ex Trebelliano in eas transferri.* Scilicet, in ipſo Aproniano SCto cautum fuit, vt Trebelliani SCti ſententia & in hoc fideicommiſſi genere locum haberet: Indicat hoc vocabulum: PLACVIT, SCtis proprium ac ſolenne. Quamuis vero vniuerſi municipes conſentire non poſſent, *L. un. §. 1. de libert. vniuerſit. L. 1. §. vlt. D. de acq. vel amitt. poſſ.* nec per ſe aliquid adquirere; tamen receptum eſt, vt & *municipes ad eas actiones admitterentur*, vti ICtus porro tradit, quia per alium ſiue ſeruum ſiue liberum hominem adquirere poſſunt *L. 2. de acquir. vel amitt. poſſ.* Itaque neceſſe eſt, vt vniverſitatis nomine actor conſtituatur. Nam IVLIANVS in *L. 27. pr. eod.* *Ita tamen*, inquit, *vt ii, quibus reſtituetur hereditas, actorem eligant, & ad agendum, & ad excipiendas*

actiones: Vel ſyndicus iam conſtitutus extet oportet *L. 1. L. 6. D. quod cuiusq. vniv.* v. ad *h. t.* SCHVLTING. *Enarrat. Partis primae Dig. p. 393.* Iam cautum fuerat quidem heredibus fiduciariis, vt, ſic adita reſtitutaque hereditate, incommodo nullo adficerentur: fideicommiſſariis autem ciuitatibus conſultum, vt poſſent capere, per alium conſtitutum a ſe procuratorem. Sed quid ſi heres ſcriptus adire nollet hereditatem, quo, cum ipſe nullo commodo, lucro nullo augeretur, ciuitatem fideicommiſſariam, deſtituta hereditate, fruſtraretur? Etenim haec eſt hominem auguſti animi indoles, haec ratio, vt, nulla ſpe, proemiis nullis propoſitis, non facile aliquid ſuſcipiant oneris. Quid igitur? Cogendus eſt adire, ac deinde reſtituere: ſi ciuitatis actores poſtularint: a. *L. 4. L. 11. pr. L. 13. §. 4. L. 67. pr. D. ad SCt. Trebell.* IVL. PAVLL. *Rec. Sent. IV, 5. 2. 3.* Atque id quidem etiam in *L. 26. laud. ad SCt. Trebell.* poſſit ſignificare PAVLLVS, cum dicit *reſtitui debere* hereditatem: niſi malim eam interpretationem amplecti, quam ſupra propoſui. Atque ita quidem de SCto Aproniano ſententiam expoſui meam. Quam, ſi elegantibus harum litterarum exiſtimatoribus potuero probare, ſummos me laboris mei fructus percepiſſe arbitrabor.

INCERTI TEMPORIS LEGES, SCTA ET EDICTA.

LEX VECTIBVLICI, *vt ſerui reip. manumiſſi ciuitatem R. conſequerentur,* ab omnibus, quot-

quotquot vidi, ad aetatem Traiani refertur. Quare & nobis faciendum eſſe ducimus, vt, quaedam, pro inſtituti noſtri ratione, ſed breuiter tamen, ad eam illuſtrandam, in medium adferamus. Iam cum ſemper prima ſit nominum inſpectio, quod, his non conſideratis, non facilis eſt ipſius aetatis explicatus. LEX VECTIBVLICI dicitur: in qua adpellatione, inter omnes conuenit, latere vocabulum SCti, a Conſule, ſiue vtroque, ſiue alterutro ductum: deinde in hoc mirificus conſenſus eſt omnium, quoniam VECTIBVLICI nomen ſit eiusmodi, vt, non dicam idem, ſed ne ſimile quidem parue, in Romanis antiquitatibus inueniatur, vt illud corruptum eſſe, deprauatumque ſtatuant. AC HEINECCIVS quidem in *Hiſt. Iur. I, §. 253. n. *) p. 250.* legendum eſſe LEX VECTIA BOLANI, SCtumque eſſe putat, referente VECTIO RVSTICO BOLANO factum, qui Conſul, collega *L. Calpurnio*, ordinarius *a. V. C.* DCCCLXIII. *Chr. III.* fuit v. GRVT. *Inſcr. p. LXVI, 2. p. CLXXVIII, 5. CLXIII, 7.* Verum haec mihi coniectura non potuit probari propterea, quod nimium recedit a vulgari ſcriptura: deinde & nomen Cos. huius *Vectii* variat. Iam alii RVTGERSIVM. *Var. Lect. II, 5.* ſecuti adpellatam Legem *Vectipublicianam* putant, a *Vectio Proculo* & *C. Publicio Certo*, quos vna Coſſ. fuiſſe putant e PLIN. *ep. IX, 13.* Sed neque haec coniectura poteſt conſiſtere. Nam ex illo PLINII loco patet illud quidem, C. Publicium Certum cum Vectio Proculo praefectum aerarii fuiſſe & conſulem deſignatum: verum Certus, accuſatione Plinii deie-

ctus Conſulatu, paullo poſt morbo implicitus deceſſit. v. MASSON. *vit. Plin. ad a. Chr. 96. p. m. 45. ſeq.* Reiectis igitur profligatiſque hiſce, quid nobis videatur, exponendum nunc erit. In quibusdam libris vetuſtis fuit *Vecti Libici;* in MS. CONTII *Vectii Libici:* quod amplexus eſt CVIAC. *Paratit. ad Cod. de ſeru. reip. manumitt.* Quae quidem lectio, cum ad vulgatam proxime accedat, facileque adpareat, quomodo in vocabulum *Vectibulici*, tranſpoſitis litteris, mutari potuerit, parum abeſt, quin mihi & recta & vera videatur. Neque enim moueor, quod *Vectius Libicus* Conſul nobis cognitus ſit nemo: neque in faſtis ordinarius eius nominis, neque in aliis monumentis vetuſtis ſuffectus, reperiatur. Scio enim, & ſupra iam oſtendi, cum de SCto Rubriano Daſumianoque ageretur, ſi quis omnes ſuffectos Coſſ. ſuis quemque annis adſcribere velit, ei magnam difficultatem obiici, propterea quod non ſatis nobis ſemper auctoritatum litterarumque, ad id docendum, ſuppetat. Neque vero ſtatim aliquis e Conſulum ſuffectorum numero expungendus eſt, atque eiiciendus, ſi vno tantum in loco, neque praeterea alibi, eius mentio extet. Satis argumenti mihi, vt in re obſcura, videtur, quod SCtum ab eo nomen traxit, & ordinarius eius nominis Cos. non reperitur in faſtis, ſuffectum eum fuiſſe. Neque vero id me dubium reddere poteſt, quod neque ego reperi vllum hominem *Vectium* cognomine *Libicum*: Quis enim omnia nomina Romana, & inprimis cognomina, teneat? v. BRENCMANN. *de Leg. Remm. c. III. p. 1581. T.*

III.

III. Theſ. Iur. Ciu. Quis poteſt eſſe auctor, aliquo in loco monumentoue nobis incognito, eius mentionem extituram non eſſe? *SCtum* autem eſſe dixi, quia, cum Senatus ſub Impp. ius facere, auctore VLPIANO, poſſet, decretis ampliſſimi Ordinis *Legum* adpellatio quoque tributa reperitur: v. c. *Lex Claudia:* Leges autem propriae, in comitiis a populo ſcitae ac iuſſae, penitus ceſſabant. Iam quamquam in nomine nullum eſt praeſidium, neque certo definiri poteſt, quo anno facta ſit haec *Lex Vectibulici;* ſiue, vt ego arbitror, *Vectii Libici:* a probabilitate ſeiunctum non arbitror, ad Traiani ſaeculum reuocare. Certum enim eſt, conſtitutumque hoc, ante Hadrianum illam extitiſſe oportere, quod, eo imperante, *Iuuentio Celſo II. & Neratio Priſco Coſſ.* h. e. *a. V. C. DCCCLXXXI.* etiam ad prouincias SCto prorogata eſt, quemadmodum confirmant Impp. Diocletianus & Maximianus in *L. 3. C. de ſeru. reip. manum.* Deinde impreſſam fert animi Traiani notam, qui, vt erga vniuerſum imperium Rom. ita aduerſus ciuitates et municipia, ſumma benignitate & humanitate vſus, multa iura, ciuium R. propria, ciuitatibus adcommodarit. Sic municipiorum bona & vectigalia pro publicis haberi, iisque ſubreptis, peculatum committi voluit *L. 4. §. 7. D. ad L. Iul. peculat.* Neque vero quidquam dubitationis mihi ſupereſt, vt oſtendi antea, quin *SCtum Apronianum* imperante Traiano factum, ſtatuam. Quod autem NOORDKERKIVS *V. C. Diſquiſit. de Lege Petron. p. 98.* ſubdubitat, an non haec *Lex Vectii Libici,* ante Tiberii aetatem rogata ſit, quamquam ingenium

nium Viri doctrinamque ſummo ego opere admiror, veneror que, tamen humanitas eius, credo, ignoſcet, ſi, id ei concedi nullo modo poſſe, contendero. Profert ille quidem VARRONIS *de L. L. VII. in fin.* locum: *Habent plerique libertini a municipio, a quo manumiſſi, vt ſocietatum & funorum ſerui. Non ſeruarunt proportionem, et, vt a Fauentia Fauentinus, a Reate Reatinus, a Roma Romanus, vt nominatur, ſic Romanorum Liberti debuerunt dici libertini, orti e publicis ſeruis populi Romani, qui, antequam manumiſſi, ſub magiſtratuum nomina, qui eos liberarunt, ſuccedere coeperunt* (*). Sed agit hic locus VARRONIS de manumiſſione, quae libertatem iuris gentium tribuebat, non de plena ac iuſta manumiſſione, qua liberati libertatem ciuium Romanorum conſequebantur. Quis autem dubitet, quin & antiquiſſimis temporibus ſeruos ſuos liberare potuerint municipia, quibus ſui magiſtratus, ſua iura, & libera ſuarum rerum adminiſtratio, conceſſa eſſent? An vero peregrini manumittere potuerint, vt potuerunt, PLIN. *ep*, X, 4, municipia non poſſent? Vt autem ad ipſius huius Legis ſiue SCti argumentum perueniatur, cautum fuiſſe videtur, *vt ſerui reip. manumiſſi ciuitatem Rom. conſequerentur*, vti patet ex Impp. Diocletiani & Maximiani A. A. reſcripto, *L. 3. laud. C. de ſeru. reip.* Pertinuiſſe autem *h. L.* ad municipia proprie dicta, eaque in Italia ſita, tantum, videor mihi colligere

poſſe

(*) Exhibui locum quemadmodum ap. NOORDKERKIVM V. C. reperi, quamquam in *Ed. Stephaniana Varronis* longe aliter conſtitutus ſit.

poſſe inde, quod poſtea SCto ad prouincias, h. e. ad prouinciarum municipia, porrecta dicitur ab Impp. *L. 3. C. laud.* Olim municipia ſeruos ſuos manumittere non potuiſſe, ita, vt libertatem ciuium Rom. haberent, conſtat, quod *nemo alieno nomine Lege agere* poterat *L. 123. D. d. R. I.* nec vindicta per procuratorem libertas dari. *L. 3. C. de vind. libert.* Etenim cum municipia, vt corpora, per ſe nihil peragere poſſent, vicariaque procuratorum aut ſyndicorum opera vti deberent, ſi libertatem ſeruis dare ſuis voluiſſent: procuratorem adhiberi eo nomine oportuiſſet: per quem tamen manumiſſio iuris Quiritium fieri non poterat: Deinde ſerui reip. manumiſſi ciuitatem R. ſeu ius Quiritium accipere non poterant idcirco, quod municipia muneris cum populo R. honorarii eſſent illa quidem ſocia, GELL. *N. A. XVI, 13.* VLPIAN. *L. 1. §. 1. D. ad municipal.* ſed iure Quiritium tamen non vterentur. v. EZECH. SPANHEM. *Orb. Rom. Ex. I, 22.* quae autem ipſa ius Quiritium non haberent, quomodo ſeruis ſuis manumisſis dare poſſent? Itaque cum manumitterent, quod facere potuiſſe paullo ante monuimus, libertas tantum iuris gentium, atque ea quidem eiusmodi, vt, ſi libuiſſet, facile reuocari posſet, manumiſſos reſpiciebat, non ſecus ac illos, qui modo rituque minus ſolenni liberati eſſent. v. CVIAC. *Obſ. XVIII, 20.* Deinde cum Lege Aelia Sentia omnes iſtius modi conditionis manumisſi in libertate morari ſinerentur, VLPIAN. *fragm. I, 12.* non dubium eſt HEINECCIO *Hiſt. Iur. I. §. 253.* quin municipiorum quoque libertis idem con-

ceſſum

ceſſum ſit, ita, vt in ſeruitutem pro libitu reduci non poſſent: poſtea vero quam Lex Iunia Norbana omnes modis minus ſolemnibus manumiſſos Latinos fieri voluiſſet, eodem etiam iure a manucipiis libertate donatos vti coepiſſe. Sed Lex Aelia Sentia atque Iunia Norbana de iis tantum cauerunt, qui ex Iure Quiritium poterant ſeruos ſuos manumittere; atque adeo ad ſeruos, a municipiis manumiſſos, nullo modo pertinere earum potuit auctoritas. Cum vero paullatim quaedam municipiis partes Iuris Quiritium, veluti, vt legata capere poſſent, auctore Nerua, & alia, tributa eſſent: etiam non amplius dubitatum fuit, iisdem permittere, vt ſeruis ſuis municipiorum publicis libertatem Iuris ciuilis dare poſſent, Atque id quidem Lex Vectii Libici ſiue SCtum effecit. Quae deinde etiam ad prouincias, h. e. ad prouinciarum municipia, porrecta eſt SCto, imperante Hadriano, IVVENTIO CELSO II. ET NERATIO PRISCO (*) Coſſ. *L. 3. laud. C. de ſeru. reip.* ac denique etiam, ciuitate Rom. cum toto imperio R. communicata, auctore Imp. Caracalla, ad omnes in imperio Rom. ciuitates ſine dubio traducta.

Traianei ſaeculi, incertae tamen aetatis, eſt SCTVM, quo *actio ſubſidiaria aduerſus magiſtratus municipales, tutorum nominatores, ſi adminiſtrationis tempore non fuerint ſoluendo, nec ex cautione fide-*

(*) qui ſuffectus tantum fuit: IVVENTIVS autem ordinarius v. WESSELING. Vir Cel. *Obſ. II,* 21. Ordinarius autem IVVENTIVS iungitur cum ſuffecto, quia per totum annum Conſulatum tenuit.

fideiuſſoris ſolidum exigi poſſit, indemnitatis nomine introducta eſt: quemadmodum proditum de eo reperimus in Conſtitutione Diocletiani & Maximiani Aug. *L. 3. C. de magiſtr. conuen. Actionis ſubſidiariae* huius mentio infertur quoque in *§. 3. Inſt. de ſatisdat. tutor. vel curat.* Cum Traianus, optimus Princeps, nullam fere partem reip. reliquerit, cui aut curam ſuam, aut medicinam non adhiberet: non debuit profecto, nec potuit, pupillorum aetatem teneram illam, et inermem, indefenſam, nudam praeſidio, deſtitutamque praetermittere. Cum enim impuberes, parentibus ſuis orbi, maxime expoſiti iniuriis, obnoxiique hominum improbitati, pateant, qui ſe propter aetatem ipſi defendere nequeant; reip. autem maxime interſit, ne facultatibus ſuis patrimonioque, tutorum dolo ac fraudibus, exuantur; digni profecto erant, in quos Principis prouidentisſimi cura atque cautio conferretur. Ac Lege XII. tabularum aduerſus tutorum dolum tuti erant illi quidem actione tutelae: propoſita quoque aduerſus fideiuſſores experiundi facultate, ſi tutores ſoluendo non eſſent. Verum tamen, quoniam, per Legem Iuliam & Titiam, Lege Atilia ad prouincias & municipia prorogata, inductum fuerat, vt praeſides prouinciarum, tutores, nec teſtamento, nec legitimos, habentibus, eorumque iuſſu, ſi pupillorum facultates non magnae eſſent, magiſtratus municipales darent: euenire poterat, & ſine dubio euenerat ſaepenumero, vt hi magiſtratus, negligentia quadam remiſſi, nec ſatis idoneos tutores darent, nec ſatis locupletem iuſtamque cautionem exigerent;

quo

quo fiebat, vt, male adminiſtrata tutela, nec tutores nec fideiuſſores ſoluendo eſſent; atque adeo pupilli ſuo patrimonio multati ad paupertatem redigerentur. Poterat etiam ea in re fraus magiſtratuum municipalium intercedere, vt, non minus, ac Verres olim Romae, pupillos praedam magiſtratuum certiſſimam, & quaſi hereditatem aliquam, exiſtimarent eſſe, & eos eligerent tutores, quibuſcum ſecure poſſent facultates pupillares praedari. Quo igitur & negligentiam magiſtratuum excluderet, & fraudibus obſiſteret Traianus, SCto caueri curauit, vt aduerſus magiſtratus municipales actio ſubſidiaria, tutelae nomine, pateret: iuſtisſime ſane, & optimo iure, vt, qui negligentiam, fraudisque conſilium in nominandis tutoribus minus idoneis iniiſſent, eo nomine pupillis tenerentur. Dicitur autem *actio ſubſidiaria*, ſ. *vtilis*, quoniam nec ex ipſa tutela proficiſcitur; nec ſemper, nec omnibus in cauſis ac temporibus datur, ſed tum demum, ſi nihil ſupereſt pupillis ſubſidii aliud, quo ad ius ſuum peruenire poſſint: ſi neque a tutoribus ipſis, neque *a fideiuſſoribus, ſolidum exigi* potuerit: cf. *L.* 4. *C. de magiſtr. conuen.* Sed quid attinet plura de hac re diſputare, cum omnia vel dupondiis nota ſint?

Servata nobis eſt praeterea ſententia SCTI et RESCRIPTI a Traiano dati in *L.* 7. *D. de hered. petit.* EX VLPIANI *Lib. XIV. ad Edictum.* Ita enim Vlpianus: *Si quis libertatem ex teſtamento ſibi competiſſe dicat, non debebit iudex de libertate ſententiam dicere, ne praeiudicium de teſtamento cognituro faciat: & ita Senatus cenſuit, ſed & D. Tra-*

D. Traianus reſcripſit, differendum de libertate iudicium, donec de inofficioſo iudicium aut inducatur, aut finem accipiat. SCTVM autem ipſum ad Traiani imperium referimus eo, quod ei ſtatim eiusdem Imp. reſcriptum ſuggerit ICtus: qui, ſi alio tempore factum fuiſſet iſtud decretum, non dubium eſt, quin commemoraturus fuerit. Fragmenti Vlpianei autem quaeſtio haec eſt, an poſſit aliquid fieri, quo iudicio de petenda hereditate per querelam inofficioſi praeiudicium adferatur. Quae quaeſtio ab VLPIANO propterea tractata eſt, atque diſceptata, quod eo libro, e quo decerpta eſt haec particula, de *inofficioſo teſtamento* egerat, quemadmodum, comparanti reliquias eiusdem libri, inprimis *L. 1. 6. 8. D. de inoff. teſt.* aliasque, poterit conſtare. Omnis hereditatis petitio adeoque inofficioſi querela pertinet ad Iudicium Centumuirale CIC. *de Or. I, 38.* v. SICCAMA *de Iudic. Centumu. I, 6. II, 5. & 8.* Varia ſunt autem iudicia centumuiralia de hereditatis petitione v. CVIAC. *Recit. Solenn. ad L. 1. de inoff. teſtam.* Quorum quidem *ea eſt auctoritas, vt nihil in praeiudicium eius iudicii,* h. e. hereditatis petitionis, *fieri debeat. L. 5. §. 2. D. h. t. Praeiudiciorum* autem *vis omnis,* auctore QVINCTILIANO, *Inſt. Or. V, 2. 1. tribus in generibus verſatur: Rebus, quae aliquando paribus ex cauſis ſunt iudicatae, quae exempla rectius dicuntur, vt de reſciſſis patrum teſtamentis, vel contra filios confirmatis: Iudiciis ad ipſam cauſam pertinentibus, vnde etiam nomen ductum eſt, qualia in Oppianicum* (*) *facta*

(*) CIC. *p. Cluent. c. 17.*

facta dicuntur & a Senatu aduerſus Milonem (*), *aut cum de eadem cauſa pronuntiatum eſt, vt in reis deportatis, & adſertione ſecunda, & partibus centumuiralium, quae in duas haſtas diuiſae ſunt.* De praeiudiciis quoque ASCONIVS PAEDIAN. *ad Cic. Diuin. in Caecil. c.* 4. *Praeiudicium*, inquit, *dicitur res, quae cum ſtatuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum, quod ſequantur.* Igitur quoniam praeiudicia adferunt iudicantibus exemplum, quod in cauſa ſequantur, de re minori fieri ante iudicium non poteſt, quod deinde maioris rei iudicio adferat praeiudicium. Tamquam, ſi ſit controuerſia de hereditate, ſiue ſi lis de petitione hereditatis ſpectetur, non poteſt agi familiae herciſcundae *L.* 1. *D. fam. herciſc.* non interdicto de tabulis exhibendis *L. vlt. D. de tab. exhib.* Quare quando controuerſia eſt de teſtamento contra heredem ſcriptum, inofficioſi nomine; neque vero lis eſt in iudicium adducta; non poteſt agi de libertate teſtamento manumiſſorum, propterea quod litis de toto teſtamento, de tota hereditate, adhuc eſt expectatio. Atque haec eadem eſt quaeſtio, quae *h. L.* a ICto tractatur. Contra heredem ſcriptum de teſtamento inofficioſo querelam mouere in animo eſt, v. c. filio. Iam ecce ad Praetorem venit ſeruus, qui ſibi e teſtamento libertatem fideicommiſſariam competere dicat. Quaeſtio eſt, vtrum ea de re pronunciare praetor debeat. Reſpondet ICtus, non oportere, propterea quod Senatus cenſuerat, *non debere iudicem de liber-*

(**) CIC. *pro Mil. c.* 5.

libertate ſententiam dicere, ne praeiudicium de teſtamento cognituro faciat. Traianus autem SCti vim interpretatus eſt clarius, cum, vt fieri ſolebat, conſultus eſſet, reſcripſitque: *differendum de libertate iudicium, donec de inofficioſo iudicium aut inducatur, aut finem accipiat.* Legendum autem ſine dubio eſſe: *inducatur*, non *iudicetur*, intelligitur, quod Graeci εἰσενεχθῆναι habent. Vim autem inferendi in iudicium eam vocem habere, ſi quis dubitet, comparet *L. 4. C. de ord. cogn. L. 19. pr. D. de appellat.* Cenſet igitur Imperator, differendam cauſam liberalem, donec cauſa inofficioſi, ſi nondum inducta, coepta, conteſtataue ſit lis, ſed ſperetur tamen, ad iudicem, Praetoremue delata fuerit, aut, ſi iam ſub iudice lis verſetur, donec finem acceperit, planeque ſententia fuerit diremta.

LEGEM ſiue potius EDICTVM Traianus Imp. quoque propoſuit, quo vetuit Italicis coloniis, ſiue ex Italia deductis, prouincias forte exhauſtas hominibus repleri. Eius ſiue Legis ſiue Edicti memoriam nobis conſeruauit IVL. CAPITOLINVS *vit. Marc. c. 11.* Ait enim: Marcum Antoninum Imp. *Hiſpaniis exhauſtis, Italica adlectione, contra Traiani praecepta, verecunde conſuluiſſe.* Quod igitur colonias in Hiſpanias deduci paſſum eſſe, ſiue imperaſſe, Marcum, ex Italia, *contra Traiani praecepta*, ſiue edictum, refert, eo ſane indicat, Traianum idem fieri noluiſſe, vel vetuiſſe. Nolebat autem Imp. propterea colonias in prouincias deduci ex Italia, quod ipſa Italia, ſuperiorum principum crudelitate exhauſta ciui-

bus deficeret, neque adeo amplius, deducendis in colonias ciuibus, attenuanda videretur. Idque eo magis cauendum erat, quia ſaepe factae antea erant deductiones in prouincias, militaribus dilectibus, ſupplementisqne legionum, exhauſtas. v. CASAVB. ad *loc.* CAPITOLINI *laud. p. 333.* in *Scriptt. Hiſt. Aug. T. I. ed. Hak.* Ac forte eam ob cauſam delectum ipſe habuit ex Italicis eum, cuius mentionem facit ARRIVS MENANDER ICtus in *L. 4. §. 12. D. de re mil.* ne nimirum, attenuatus imminutusque hominum iam ſuperiori tempore numerus in prouincinciis, magis adhuc decreſceret.

Explicatis nunc *SCtis*, *Edictis*, *Legibusque* ſub Imp. Traiano factis, accedimus ad DECRETA atque RESCRIPTA, quibus ille cauſas controuerſiasque definiuit. Quae propterea in hanc poſtremam Commentarii partem reiecimus, quod difficile erat annos ſuos cuique adſignare. Vbi tamen potuimus probabili aliqua coniectura tempus adſequi, diligenter id indicauimus. Quoniam vero interdum neceſſarium duximus, aliquid de ICti illius libro eo aliquid monere, in quo Decretum aliquod, aut Reſcriptum relatum fuit; ea Reſcripta aut Decreta coniunximus, quae vno eodemque ICti alicuius libro fuerunt comprehenſa. Ceterum primo ſemper fere loco poſuimus fragmentum ICti; in quo quodque Reſcriptum Decretumue continetur. Exordium vero capimus a Decreto Traiani, quod PAPINIANVS in *libro XI. Quaeſtionum* commemorauit; ſiue, quia is fere omnium ICtorum princeps eſt; ſiue, quia Decretum iſtud ad initia principatus

Traiani

Traiani videtur pertinere, vti deinde ſuo loco dicemus.

PAPINIANVS LIB. XI. QVAESTIONVM.

Diuus Traianus filium, quem pater male contra pietatem adficiebat, coëgit emancipare: quo poſtea defuncto pater, vt manumiſſor, bonorum poſſeſſionem ſibi competere dicebat. Sed conſilio Neratii Priſci & Ariſtonis ei propter neceſſitatem ſoluendae pietatis denegata eſt.

L. ult. D. ſi a parent. quis manum.

Haec decreti Traiani memoria nobis ſeruata eſt a PAPINIANO ICtorum, Alexandri Imp. aetate, principe, in *Libro XI. Quaeſtionum.* Libri autem *Quaeſtionum*, quamquam et ipſa plerumque & conſultationes & reſponſa complectebantur, differebant tamen a Libris *Reſponſorum.* Etenim in Libris *Reſponſorum* nuda, praeciſa, amputata omni ampliori diſputatione, ſingularia reſponſa; in Libris autem *Quaeſtionum* vberiores diſputationes, diffuſioresque tractationes comprehenſae. v. CVIAC. *ad Afric. tractat. I. ab init.* cf. Cel. BYNKERSH. *Opuſc. ad Leg. Lecta c. I.* PAPINIANVS autem in *Libro XI.* praeter alia de ſucceſſione etiam patrum in filiorum emancipatorum bona, ſiue de bonorum poſſeſſione, egit, vt ex *L. 50. D. ad SC. Trebell.* patet. Quae cum eſſet ſane aequisſima, & Legibus moribusque

L 3 Rom.

Rom. conueniens, e quibus manumiſſor ab inteſtato in manumiſſi bona ſuccederet: haec PAPINIANO quaeſtio incidit, vtrum, ſi pater, propter male meritum, & violentiam in filium inhibitam, neceſſario emancipaſſet filium, ſiue decreto magiſtratus vel principis emancipare coactus eſſet, vtrum igitur hac in cauſa ad bonorum poſſeſſionem venire pater poſſet. Ac PAPINIANVS quidem D. Traiani decretum ſententiae ſuae ſtabiliendae cauſa adfert, quod reperiſſet, propter aequitatem id, prudentiamque, & temporis eſſe & vſus auctoritate comprobatum. Etenim *D. Traianus filium*, inquit, *quem pater male contra pietatem adficiebat, coegit emancipare.* Conſtat, quanta patribus apud Romanos, tum Lege Romuli ap. DIONYS. HALIC. *L. II. p. 96.* tum Decemvirali, fuerit in liberos conceſſa poteſtas, ita, vt etiam iure vitae necisque vterentur. In qua quidem infinita poteſtate, quam ſaepe potuerit durorum parentum acerbitas in liberos ſuos humanitatem ac pietatem deſerere, quis eſt, quin intelligat? Sed neque in libera rep. neque ſub primis Caeſaribus videtur aliquod perfugium liberis *male habitis* publice proditum fuiſſe, aut conceſſum. In quo quidem durior conditio liberorum, quam ſeruorum fuit, cum, iam ſua aetate ſeruis licuiſſe, ad ſtatuas principum confugere, ſi a dominis male habiti eſſent, & de iniuriis dominorum apud magiſtratus conqueri, auctor ſit SENECA *de clement. I, 18. de benefic. III, 18.* ac paullo poſt, *Lege Petronia*, domini vetiti fuerint, ſeruos ſuos, ſine ſententia iudicis, beſtiis ad depugnan-

pugnandum obiicere. *L. 11. §. 1. 2. D. ad L. Corn. de ſicar.* Ac tametſi adparebat, iniquam hanc eſſe conditionem liberorum, tamen, cum in patria poteſtate portio inſignis Iuris Quiritium conſiſteret, non videbatur Imperatoribus facile aut expeditum, in qua re Romani tanto ſibi opere placerent, eam, latis Legibus, labefactare, aut imminuere: inprimis cum ſpeciem antiquae libertatis relinquere ciuibus inſtituiſſent. Quod ſi vero filius male tractatus a patre apud principem conqueſtus fuiſſet, ab eo quin impetrauerit opem, mihi non videtur eſſe dubitandum. Certe cum apud Optimum Principem Traianum filius de duritie, atque iniquitate parentis aduerſus ſe queſtus fuiſſet, deſtitutus auxilio non diſceſſit: Etenim patrem coëgit emancipare, e patriaque poteſtate dimittere filium, in quem iure ſuo abuſus eſſet. Cum enim patria poteſtas apud Romanos nulla alia inter viuos praeſenteſque ratione diſſolui poſſet, quam emancipatione, callido hoc heurematico vſus eſt Imperator, quo patriae poteſtatis iniquitate filius male adfectus liberaretur. Ceterum, quamuis coactus emanciparet filium pater, tamen omnes eae formulae ſolennitateſque adhibitae videntur fuiſſe, quae alias in emancipationibus interceſſerunr: de quibus vid. *viri docti* ad *Cai. I, 6. in Iurisprud. Anteiuſtin.* SCHVLTINGII; Cel. HEINECCII *Ant. Rom. I, 12.* cf. CHRISTIANI WILHELMI KÜSTNERI V. C. amici coniunctiſſimi *Diſſertat. elegantisſimam de Anteſtato.* Denique ex hoc Traiani decreto magnam vim capit BYNKERSHOEKII V. C. ſententia, in *Opuſc.*

de Iur. occid. lib. c. IV. ſtatuentis, ius occidendi vendendique liberos, Traiani, Hadriani, Antoninorumque temporibus, circumſcribi finibus quibusdam cohiberique coepiſſe. Quod ſi enim Traianus patrem, poenae loco, emanoipare iusſit filium, quem contra pietatis officium male inclementerque tractaſſet: quanto magis animaduertendum cenſuerit in eos, qui liberos ſuos, aut vendere, aut occidere, non dubitaſſent? Iam cum pater, qui filium emancipauit, tamquam manumisſor, ius patronatus, atque ſucceſſionis in bona inteſtati haberet: *§. 6. Inſt. quib. mod. pat. pot. ſolu.* pater, qui coactus ab Imp. filium ſuum emancipaverat, mortuo filio, ſucceſſionem, ſiue bonorum poſſeſſionem, vt manumiſſor, poſtulauit. Res ad Imperatorem delata eſt, vt de ea re cauſaque cognoſceret ac decerneret. Is, quemadmodum Imperatores cognitionem habentes facere ſolebant, vt ICtos imprimis in conſilium adhiberenr; ita quoque NERATIVM PRISCVM, & ARISTONEM, nobiliſſimos, ea aetate, ICtos, adſciuit. NERATIVM PRISCVM quidem Imp. cum ingenti iuris ſcientia, tum moribus elegantiſſimis, amore tanto habuit, vt aliquando ipſi diceret: *commendo tibi prouincias, ſi quid mihi fatale acciderit,* SPARTIANO auctore in *Hadr. c. 4.* quod multis hanc vim habere viſum eſt, vt ſucceſſor deſtinatus ab Imp. fuiſſe crederetur. v. DODWELL. *Prael. Cambd. XVI. p. 518.* ARISTO autem, quantus, quamque inſignis ICtus fuerit, non poteſt ignotum eſſe, ſi quis PLINII *epiſtolam viceſimam & alteram libri primi* legere voluerit: in qua eum, tamqum abſoluti

ſoluti omnibus numeris perfectique ICti exemplar, proponit. Hi tales ac tanti ICti exiſtimarunt, & ex eorum conſilio Imperator decreuit, bonorum poſſeſſionem patri dandam non videri. Cuius ſententiae hanc rationem reddit ICtus, quod neceſſario & coactus, non ſua ſponte, filium e poteſtate dimiſerit. Hanc enim vim ſubiectam eſſe puto verbis illis: *propter neceſſitatem ſoluendae pietatis:* neque aliam vllam ſententiam totum hoc decretum patitur. Neque vero de ſententia dubitatum eſt ab his, qui haec verba ſollicitarunt, FR. HOTTOMANN. ad *§. vlt. Inſt. de his, qui ſui vel al. iur.* & P. FABRO *Semeſtr. III, 16.* Corrigendum enim: *poteſtatis*, cenſent. Sed ſatisfactum huic violentiae eſt a τῷ πάνυ CVIACIO ad *Lib. XI. Quaeſt. Papiniani h. l. vlt.* Itaque quoniam pater filium emancipauerat, neceſſitate decreti Imperialis coactus, eam ob cauſam denegata eſt ipſi bonorum poſſeſſio. Nam cum manumiſſori, atque adeo patri filium emancipanti, ſucceſſio ab inteſtato in manumiſſi aut emancipati bona conceſſa ſit propter hoc poteſtatis ſolutae beneficium: eam hic pater, emancipare coactus, conſequi non debuit, quoniam non ipſe beneficium iſtud dederat, ſua ſponte, ſed coactus erat, ſuo iuri reddere filium, atque adeo indignus eo erat iure, quod beneficium iſtud conſequebatur. Quae quamquam ratio non eſt inconueniens, tamen ea mihi nec ſola, nec ſumma videtur. Cum pater coactus ac neceſſario emancipaſſet filium, in quem ſaeuitia vſus fuiſſet; eum exiſtimo ius patronatus, alioqui patribus in emanci-

 cipa-

cipatos conceſſum, amiſiſſe. Poenae enim cauſa Traianus Imp. imperauit, vt filium dimitteret e patria poteſtate, qua abuſus, indignum ſe in poſterum iure iſto reddiderat. Itaque cum tamquam indignus patria poteſtate ſe abdicare coactus eſſet, indignus quoque erat iis iuribus, quae alioqui patribus, in emancipatos, emancipatorumque bona, attributa ſunt. Ceterum hoc decretum a Traiano interpoſitum eſſe videtur inter initia principatus; quoniam adhibitus dicitur in conſilium ARISTO, cuius a PLINIO *ep. I, 22.* ita mentio fit, vt deſtinata morte vitam finire voluiſſe & ea valetudine fuiſſe referatur, e qua conualeſcere non poſſet. Iam vero libros priores epiſtolarum Plinianarum ſub initium imperii Traiani colligi publicarique coeptos, probabile eſt. Ceterum quamquam haec duo Traiani Imp. decreta, ſingularia & quaſi quaedam priuilegia erant, neque adeo etiam decreta Impp. aliud, niſi in ea cauſa, in qua interpoſita ſunt, ius conſtituere poſſunt, vti docet Cel. SCHVLTING. *Diſſ. pro Reſcript. Imperat.* §. 4. tamen, cum ſua ſe aequitate prudentiaque commendaſſent, non improbabile eſt, inde poſtea ſaepe exemplum in paribus cauſis ductum, atque adeo vſu comprobatum fuiſſe, & confirmatum: Neque enim aliud conſilium PAPINIANO fuiſſe, probabile eſt, cum hoc Traiani factum commemoraret, quam, vt, quod Imp. aliquando decreuiſſet, id in perpetuam iuriſdictionem, conuerſum fuiſſe, atque adeo eo iure vtendum, oſtenderet. Itaque non videntur errare Doctores, & Intt. iuris, qui ex decreto Traiani

iani *neceſſariae* illud *emancipationis* genus arceſſunt, quo *propter ſaeuitiam* atque *inhumanitatem* patres liberos ſuos emancipare coguntur.

VLPIANVS LIB. VII. DE OFF. PRO-COS.

Diuus Traianus Minicio Natali reſcripſit: ferias a negociis tantum forenſibus dare vacationem: ea autem, quae ad diſciplinam militarem pertinent, etiam feriatis diebus peragenda: inter quae cuſtodiarum quoque cognitionem eſſe.

L. 9. D. de fer. & dilat.

Cum, quod propoſuimus, fragmentum ex DOMITII VLPIANI *L. VII. de Offic. Procos.* depromtum ſit, non alienum erit, de argumento huius *libri ſeptimi* quaedam commemorare. Nam LACTANTIVS *Inſt. diuin. V, 11.* *Domitius*, inquit, *reſcripta principum*, contra Chriſtianos npe, LIBRO SEPTIMO DE OFFICIO PRO COS. *collegit, vt doceret, quibus poenis adſici oporteret eos, qui ſe cultores veri Dei profitentur.* DOMITIVM autem ibi intelligendum eſſe VLPIANVM ICtum noſtrum, docuere viri docti v. SCHVLTING. *Diſſ. pro Reſcript. Imperat.* in *Diſſertt. p. 171. ſeqq.* cf. BYNKERSHOEK. *Opuſc. de rel. peregr. c. I.* Fragmenta vero eiusdem libri in Pandecten relata, ſatis declarant, actum in eodem libro ſeptimo fuiſſe, de inueſtigatione, cuſtodia, cognitione eorum, qui in prouinciis crimina commiſiſſent, it. de perſecutione fugitiuorum: v. *L. 13. de off. praeſ. L. 3.*

L. 3. de fugitiv. L. 2. de his qui ſui vel alien. iur. Collat. Leg. Mos. & Rom. I, 2. Quo quidem ſatis adparet ratio, cur eo libro ſeptimo Reſcripta principum contra Chriſtianos collegerit. Chriſtianorum religio ſanctiſſima, iſtis calamitoſiſſimis temporibus, in ea cauſa erat, vt in grauiſſimorum criminum numero, ſi non haberetur, (quomodo enim? cui Plinius honorificentiſſimum teſtimonium perhibuerit) certe tamen puniretur, propterea quod Romani, peregrinarum religionum hoſtes, putarent, eam diſſoluendarum ſuarum ſuperſtitionum fore: atque imperium adeo iſtis ritibus nixum, fundamento quaſi ſuo, euerſuram. Itaque VLPIANVS, quoniam in eo libro praecepta de prouinciarum rectura Pro Coſſ. dictare ſuſceperat, quae crimina in prouinciis exagitanda eſſent, quae punienda; in iis inprimis ſectam profeſſionemque Chriſtianae religionis ProCos. animaduerſioni ſubiiciendam cenſuit. Ex eo libro cum in Pandecte fragmenta quaedam ſuperſint, & in iis reſcripta ad Procoſſ. Imperatorum memorentur; fortaſſe non abhorrebimus a probabilitate, ſi qua in Pandecte a compilatoribus in aliam ſententiam detorta fuiſſe, poſuerimus, quae ab VLPIANO contra Chriſtianos obſeruanda propoſita fuiſſent. Quid? ſi porro hoc ipſum fragmentum ea in cauſa nobis videri pronunciauerimus, poterimusne temeritatis notam effugere? Sed totam ſpeciem facti, quaſi in tabula aliqua, effictam dabo, quo pateat ſententia mea. Ad MINICIVM NATALEM Pro-Coſſ. in illa Chriſtianorum vexatione, ſub Imperatore Traia-

Traiano, ſtudioſe exercita, delatus erat aliquis forte non obſcurae conditionis, non malignae famae, Vir, quaſi eſſet Chriſtianus. Hic, vt mos erat, in cuſtodiam militarem datus eſt tamdiu obſeruandus, donec tota cauſa criminis explorari examinarique poſſet. Hunc, quoniam graue eſſet eius crimen, vrgebat accuſator ſine vlla mora interrogari & de eo cognoſci, ne feriis quidem interpoſitis, oportere: Pro-Cos. qui & ſciret, hoc ſolum argumentum valere non poſſe, nec debere, &, cum ipſius rei cauſa vellet, interlabenti tempori aliquam moram patere, cuperet, quo forte aliquid fieret, vt elabi reus poſſet: cauſam ad Imperatorem retulit; qui, quid fieri oporteret, ſeſe condocefaceret. Imperator autem reſcribit, ne ferias quidem vacationem adferre oportere, quo minus diſciplina militaris exerceatur: ad quam & pertineat cuſtodiarum cognitio. Nimirum de iſto iure conſulere Imperatorem voluiſſe Pro-Cos. vti docebimus, ICtum, vix eſt, vt animum induci poſſit. Vtrum ICtus aut quiuis alius Pro-Cos. ignorare poterat, quae feriatis diebus peragenda eſſent, & a quibus rebus feriae vacationem darent? Sed forte nimis coniecturae indulſimus. Reſcriptum Traiani datum eſt ad MINICIVM NATALEM: Qui ſine dubio idem ille ICtus eſt; cuius quaedam in Pandecte ſententiae reſtant. v. c. *L. 61. D. de rei vind. L. 22. de reb. cred. L. 6. §. 4. D. de act. emt.* quibus Sabinianum ſe oſtendit. v. CVIAC. *Obſ. X, 4.* Pro Cos. eum fuiſſe, ſi nullo alio teſtimonio, hoc certe documento probabile fieret, quod VLPIANVS in libris *de officio Pro-*

Pro-Cos. reſcripti ad eum miſſi mentionem infert. Inſcriptio ap. GRVT. *p. LIX, 8.* PRO-COS. LIBYAE MINVCIVM ſeruat, altera autem *p. XLIX, 6.* LEGAT. AVGVST. PRO-PR. PROVINCIAE MOESIAE INFERIORIS (*) eum adpellat: vt adeo forte non improbabile accidat, Pro-Cos. Libyae Minucium fuiſſe tum, cum hoc ad eum Traianus reſcriberet. Quamquam vero certum hoc ſit, Pro Cos. fuiſſe, tamen inde non efficitur, eum Cos. ante fuiſſe. Nam e DION. CASS. *libro quinquageſimo tertio* conſtat, omnes eos dictos fuiſſe *Pro-Conſules*, qui in aliquam prouinciam Senatoriam, ſiue e Conſulatu, ſiue e Praetura, proficiſcerentur. Ab hoc Traianus conſultus, vtrum feriatis diebus etiam cognitio cuſtodiarum peragi poſſet, an vero vacatio daretur; reſcripſit, *ferias a negociis tantum forenſibus vacationem dare?* Feriae ſunt dies oppoſiti *iuridicis* & *communibus*, otio & quieti mancipati, quibus forum ac iudicia ſilentio conticeſcunt: de quarum feriarum ratione, qua vel in *ſtatiuas* vel in *conceptiuas, imperatiuas* & *nundinas* tribuebantur, v. SCHVLTING. *Enarrat. Part. I. Digeſt. b. t. p. 251. ſeqq.* Has igitur *ferias*, otium & quietem forenſibus tantum negociis adferre arbitratur Imperator: ea autem, *quae ad diſciplinam militarem pertineant, etiam feriatis diebus peragenda eſſe.* Diſciplina enim militaris ſeueritatem diligen-

(*) E qua inſcriptione refellitur MASSONI *V. C.* opinio *vit. Plin. iun.* ad *a. Chr.* 99. *p. m.* 51. in *not.* *) ſtatuentis, ea aetate Moeſiam nondum diuiſam fuiſſe in *ſuperiorem* & in *inferiorem*; & SPARTIAN. in *Hadriano c.* 2. pro more ſui temporis locutum.

ligentiamque exigit. Traianus autem, quam diligens fuerit in diſciplina militari exercenda, oſtendit PLINIVS *Paneg. c. 18. cf.* XIPHILIN. e DION. *Lib. LXVIII. p.* 771. Quae cura eo fuit magis neceſſaria, quod diſciplina militaris vehementer, Domitiano imperante, collapſa fuerat. PLIN. *ep. VIII, 14.* Inter ea autem, quae diſciplinam militarem ſpectant, pergit, *cuſtodiarum quoque cognitionem eſſe:* h. e. cognitionem, interrogationem, quaeſtionemque eorum, qui in vinculis tenentur. *Cuſtodiae* enim pro vinctis in carcere vſurpantur: SVET. *Ner. c. 31.* Quaeſtiones autem eiusmodi quocumque etiam feriato die haberi potuiſſe intelligitur, quod etiam Latrones nullo non die interrogari poſſunt. *L. 10. C. de fer.* vnde *L. 6. C. eod.* conditionibus ac finibus ſuis cohibenda eſt. Cur autem cognitio cuſtodiarum ad diſciplinam militarem pertineat, eius ratio inde videtur arceſſenda, quod cuſtodiae in prouinciis per milites adſeruatae fuerunt: *L. 1. C. de cuſtod. reor. L. 12. init. D. eod.* Quapropter, cum id PLINIVS ſciret, Imperatorem *ep. X, 31.* conſulit, *vtrum per publicos ciuitatum ſeruos* (quod usque adhuc factum, in ea prouincia) *an per milites adſeruare cuſtodias debeat.* Cui id *ep. ſq.* tamen negat Imp. quod volebat, quam pauciſſimos milites a ſignis auocari. De *cuſtodia militari* v. LIPS. *Excurſ. B. ad Tac. Ann. III.* cf. TAC. *Hiſt. IV, 11.* ACT. APOST. *XXVIII, 16.* quae tamen *aperta* aliquando ac *libera* fuit *L. 2. C. de exact. tribut.* v. BYNKERSHOEK. *Obſ. I, 2. p. 17.* Cum igitur per milites adſeruarentur cuſtodiae, atque adeo ad

diſci-

diſciplinam militarem pertinerent, facile adparet, quare cuſtodiarum cognitio omnibus diebus fieri poſſit; nempe, vt, quam citiſſime omnis illa adſeruatio terminetur, nec diu milites a ſignis ſuis abeſſe debeant.

VLPIAVVS LIB. VII. DE OFF. PRO-COS.

Abſentem in criminibus damnari non oportere Diuus Traianus Iulio Frontoni reſcripſit. Sed nec de ſuſpicionibus debere aliquem damnari, D. Traianus Adſiduo Seuero reſcripſit. Satius enim eſſe, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem dammari.

L. 5. pr. D. de poen.

Duo hic reperiuntur Reſcripta Traiani eodem *libro VII.* VLPIANI *de officio Pro-Cos.* ſeruata: Quorum prius eſt ad IVLIVM FRONTONEM Pro-Cos. datum. Non improbabile eſt hunc IVLIVM FRONTONEM eſſe illum, qui a. Chr. C. collega Traiani Auguſti in conſulatu fuit. v. PAG. *Crit. Baron. T. I. p. 93.* quique adeo iam Nerua imperante Cos. fuerat. XIPHILIN. e DION. *Libro ſexageſimo octauo.* Inuenitur *M. Iulius Fronto Curator Viarum* ap. GRVTER. *Inſcr. p. CIC. 1.* quem non diuerſum ab hoc Conſule putat TILLEMONT. *Hiſt. Impp. T. II. P. III. p. 844.* Eius filium autem, qui praefectus claſſis ſub Hadriano fuerit, apud GRVTER. *p. DLXXIII.* memorari, putat PAGIVS *Crit. Baron. ad a. Chr. 100.* de diverſis

verſis *Frontonibus* ac *Frontinis* v. ANTON. AVGVSTIN. de *Nom. propr. Pandect. p. 272. 253. 361. 377. 379. 399.* Si igitur hic ap. VLPIANVM *Iulius Fronto* ille Cos. anni Chr. C. extiterit, probabile eſt, eum poſt aliquot a Conſulatu annos, ex inſtituto Auguſti ap. DION. CASS. *Lib. quinquageſimo tertio*, Proconſule prouinciam ſortitum eſſe: vt adeo forte in *annum Chr. CV.* incidat eius ProConſulatus, cuius anni maximam partem Traianus Romae fuit; v. MASSON. *vit. Plin. iun. ad h. a.* vt Roma hoc reſcriptum ad eum mittere potuerit. Iam cogitanti mihi, quaerentique, cui prouinciae praefuerit, probabilis occurrit ea coniectura, Aſiae vel Africae eum regendae praepoſitum, quod has plerumque prouincias datas a Senatu eſſe iis ſciamus, qui e Conſulatu in prouincias proficiſcerentur. v. SCHVLTING. *Enarrat. Part. I. Digeſt. ad tit. de off. Pro-Cos. p. 146.* Quod vero ad ipſum reſcriptum attinet, videri poſſet a Frontone ad Traianum, de Chriſtianis quibusdam, ad ipſum delatis, ſed abſentibus, relatum fuiſſe, vtrum, quod in eius criminis, ſiue nominis potius, reos extra ordinem acerbius ſtatui ſolitum, repeririſſet, quamquam abeſſent, damnari apud ſe accuſatos conueniret. Cuius meae opinionis ſiue coniecturae rationem hanc habeo, quod VLPIANVS hoc in *Librum VII. de Off. Procos.* retulit, in quo, vt paullo ante oſtendi, Principum reſcripta de coërcendis Chriſtianis collegerat. Neque vero credibile eſt, cum apud Rom. hoc fine controuerſia ius obtineret, abſentem in criminibus neminem damnari oportere, vti paullo poſt vberius explicabimus;

cabimus, Frontonem ad Imperatorem referendum putaſſe, niſi ea res ad Chriſtianos ſpectaret; in quorum accuſationibus Romani praeſides a iure ordinario recedere ſolerent. Traianus autem, quamquam ab initio imperii ſui in Chriſtianos ſaeuire, & exempla inuſitata ſtatuere, permiſerat, tamen nunc, poſtquam a PLINIO *ep. X, 96.* innocentiam Chriſtianorum cognouerat (PLINII enim Legatio & epiſtolae *annum Chr. CV.* antecedunt e rationibus MASSONI *vit. Plin. iun. ad a. Chr. 103. p. m. 77.*) tamen, inquam, mitior in eorum cauſa factus, nunc in abſentes damnationem locum habere vetuit, quoniam etiam in ceteris *criminibus abſentes damnari non oporteat.* Tribonianus autem, cauſa ipſa, & relatione, & maxima reſcripti parte omiſſa, e mandato Imp. Iuſtiniani, quod ea locum, temporibus Chriſtianis, habere nec poſſent, nec deberent, retinuiſſe tantum videtur, & in Pandecten intuliſſe ea, quae iuris auctoritatem obtinerent. Iam quod Traianus reſcribit, *abſentem in criminibus damnari non oportere,* id omnibus fere temporibus e Iure Ciu. etiam in prouinciis, obſeruatum fuiſſe vel e CIC. *Verr. II, 38.* conſtat. CICERO enim reprehendit Verrem, quod Sthenium abſentem in reos non ſolum recepiſſet, ſed etiam de crimine capitali condemnaſſet. Cuius Verrini iuris iniquitate moti Cn. Lentulus & L. Gellius Coſſ. tunc *in Senatu mentionem fecerunt, placere ſtatui, ſi P. C. videretur, ne abſentes homines in prouinciis rei fierent rerum capitalium.* Et quamquam hoc SCtum, Verris patris gratia & concurſationibus, confectum tunc non eſt,

neque

neque vlla alia Lege aut SCto vetitum, in prouinciis recipi nomen abſentis, vti idem ex CICER. *l. c.* 41. colligi poteſt: tamen Pro-Coſſ. in prouinciis Leges, hac in re, Romanas, & conſuetudinem vrbanam eſſe ſecuti videntur: propterea quod eodem loco CICERO dicit, ſi Verres hoc vtatur, malam eam improbamque defenſionem eſſe. Quae quidem Romanae reip. conſuetudo ſalutaris & aequa, ſub Impp. quoque, quin in prouinciis a magiſtratibus ſeruata fuerit, dubium non eſt. Sed videntur tamen Impp. paſſi eſſe reos capitalium criminum recipi etiam abſentes *L. 3. C. de accuſat.* quamquam, condemnari abſentes quo minus poſſent, intercederent. At, inquis, *L. 33. §. 2. D. de procur:* VLPIANVS contra hoc ipſum a ſe relatum Traiani Reſcriptum pronunciat, quod ait: *vbicumque abſens quis condemnari poteſt.* Recte ſane. Neque tamen inconſtanter diſputat. Nam haec *Lex 33. §. 2. de procur.* e libro VLPIANI *ad Edictum* Praetoris Perpetuum deſumta, pertinet ad cauſas ciuiles, non criminales: quoniam Praetoris Vrbani notioni crimina non ſunt ſubiecta. Deinde quod interdum abſens de crimine condemnari poteſt, veluti ſi cum praeſente lis conteſtata, *L. 10. D. de publ. iud. L. 13. L. 15. C. ad L. Iul. de adult.* ſi quis Lege Cornelia accuſatus ſit, ſpadonem feciſſe *L. 4. §. vlt. D. ad L. Corn. de ſicar.* ſi adparitor corruptus arceſſatur perfidiae *L. 21. C. de poen.* ſi poena ſit non capitalis, veluti relegatio, ſiue relegatione minor, *L. 5. pr. D. de poen.* ea omnia in exceptis ponenda ſunt, de q. v. WESTENBERG. Cel. ad

Diu. Marc. Conſtitut. Diſſ. XXI. p. 227. Itaque Traiani reſcriptum, ad ius commune compoſitum, auctoritatem obtinet ſuam: Idque inprimis VLPIANO placuit: qui adeo, cum nonnulli arbitrarentur, aduerſus contumaces, qui neque denunciationibus, neque edictis praeſidum obtemperaſſent, etiam abſentes, condemnationem decerni oportere, hoc Heurematicum, ſ. cautionem, ſubiecit: *Poteſt quis defendere haec non eſſe contraria? Quid igitur eſt? Melius ſtatuetur* &c. V. BRENCMANN. V. C. de *Heuremat. c. XII. p. 271.* Alterum apud VLPIANVM *h. L.* reſcriptum Traiani eſt ad *Aſſiduum Seuerum* miſſum: de quo praeſide ego nihil comperti habeo dicere. Conſtituit autem Imperator, in argumento, non admodum ab illa ſuperiori cauſa diuerſo, conſultus: *nec de ſuſpicionibus aliquem debere damnari.* Cum enim ſuſpiciones interdum etiam in innocentiſſimum quemque poſſint conuenire: quae aequitas eſſet, quae ratio, ſolis ſuſpicionibus, deficiente argumentorum probationumque copia, locum relinquere, & vitam ſalutemue hominis, forte innocentis, condonare? Satis conſtat, quanta diligentia iuris auctores cauere ſoliti fuerint, vt, ad reum condemnandum, ſine idoneis argumentis, decurri non paterentur. *Satius enim eſt*, vt Imp. ſentit, *impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari.* Poſt poenam enim ſumtam nihil Tribunus, nihil Praetor iuuerit, quando in integrum reſtitui nemo tunc amplius poteſt. Quapropter merito SENECA *de Ira II, 23. poteſt*, inquit, *poena dilata exigi, non poteſt exacta reuocari.*

VLPIAN.

VLPIAN. LIB. VIII. DE OFF. PRO-COS.

Seruum mariti in caput vxoris poſſe torqueri, D. Traianus Seruio Quarto reſcripſit. Item Mummio Lolliano reſcripſit, damnati ſeruos, quia deſierunt eſſe ipſius, poſſe in eum torqueri. Si ſerui quaſi ſceleris participes in ſe torqueantur, deque domino aliquid fuerint confeſſi apud iudicem: prout cauſa exegerit, ita eum pronunciare debere, D. Traianus reſcripſit: quo reſcripto oſtenditur grauari dominos, quaeſtione ſeruorum, ſed ab hoc reſcripto receſſum conſtitutiones poſteriores oſtendunt.

Qui quaeſtionem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit; ſed generaliter quis id fecerit: alterum enim magis ſuggerentis, quam requirentis videtur, & ita D. Traianus reſcripſit.

L. 2. §. 11. 12. §. 19. §. 21. D. de quaeſt.

Apud plerasque fere gentes, Athenienſes, Rhodios Romanosque, & alios, conſtitutum receptumque fuit, vt per tormenta veritas exquireretur. V. ARISTOT. *Rhetor. I, 47.* CIC. *Part. orat. 34. Top. 20. Cluent. 65.* Quamquam vero non eſt dubium, quin ſaepe iſta ad veritatem inveniendam via lubrica ſit admodum & periculoſa: *L. 1. §. 23. D. de quaeſt.* tamen, quoniam neque hoc negari poteſt, Legibus, in cauſis difficilibus & impeditis, videndum eſſe id, quod plerumque, certe ſaepenumero, facultatem habeat: & cum multis in cauſis veritas aliter conſtare explicarique

M 3 non

non poſſit; fieri ſane aliter nec potuit, nec debuit, quin quaeſtionis vſus in rep. retineretur. Verumtamen apud Romanos quidem ciuis Romanus aut liber homo torqueri non poterat: niſi forte per ſententiam iam ſeruus poenae effectus eſſet. Itaque cum ſeruus, ne de ſe haberetur quaeſtio, liberum ſe eſſe dixiſſet, Hadrianus eum, antequam liberale iudicium expertus eſſet, quaeſtioni ſubiici noluit *L. 12. D. de quaeſt.* vid. WESTENBERG. *ad Diu. Marci Conſtit. Diſſ. XVIII. p. 199.* Serui autem in omnibus, tam pecuniariis, quam capitalibus cauſis, a magiſtratibus ſubiici quaeſtionibus potuerunt. Nam *iudex tutelaris, vel Centumuiri ſi de rebus hereditariis, vel de fide generis inſtrui non poſſunt, poterunt de ſeruis hereditariis habere quaeſtionem.* PAVLL. *Rec. Sent. V, 16. 2.* Quid? quod ab ipſis priuatis tortos fuiſſe ſeruos, diſcimus e CICERONIS *Cluentiana c. 63. & 66.* V. SCHVLTING. ad *Paull. l. c.* in *Iurispr. Anteiuſtin. p. 491.* Quamuis vero & in ſe & in alios quoscumque interrogari poſſent: tamen in domini caput, nec in cauſis pecuniariis, nec in capitalibus, eos torqueri licebat. PAVLL. *Rec. Sent. V, 16. 5.* ibique SCHVLTINGIVS V. C. Quod quidem inſtitutum TAC. *Ann. II, 30. veteri SCto,* CIC. *pro Milon. c. 22. moribus maiorum*, acceptum refert: quod ſaepe fieri, vt vno in loco aliquid *Legi*, alio *Moribus maiorum* tribuatur, in vulgus notum eſt, & pluribus docet NOODTIVS *Probabil. I, 3.* Excepta tamen Ciceronis tempore erat *cauſa inceſti:* CIC. *Mil. l. c.* poſtea autem tres, *adulterii*, *fraudati cenſus*, & *maieſtatis* ſeu *perduellionis*;

lionis; in quibus de ſeruo etiam in domini caput quaeſtio haberi poſſet *L. 1. C. de quaeſt.* De quaeſtionibus, in vniuerſum ſuo more, eleganter, atque acute, diſputauit SCHVLTING. V. C. *in Diſſ. ad L. 1. §. vlt. D. de quaeſt.* §. 14. 15. quae adiecta eſt *Enarrat. Part. I. Digeſtor.* cf. WESTENBERG. de eadem *L. 1. §. vlt.* ad *Conſtitut. D. Marc. Diſſ. XVIII.* Hoc quaſi aperto aditu, ad quatuor Traiani de quaeſtionibus ſeruorum reſcripta accedemus, quae VLPIANVS in *Lib. VIII. de officio Pro-Coſ.* ſeruauit: in quo locum de criminibus a Pro-Coſſ. perſequendis, exquirendisque *Lib. VII.* vt ſupra vidimus, explicari coeptum, comparanti reliquias eiusdem libri, perſecutus eſſe, intelligitur. Primum Reſcriptum Traiani eſt ad *Seruium Quartum*; qui ſine dubio Pro-Cos. ſed cui prouinciae praefuerit, ignotum eſt. Is, quantum ex reſcripto intelligi poteſt, ad Imperatorem retulerat dubitationem ſuam, vtrum ſeruus mariti in caput vxoris torqueri poſſet, forte in cauſa adulterii. Mouere eum potuit hoc, quod de ſeruo communi in caput alterius ex dominis quaeſtionem haberi non poſſe ſciret: PAVLL. *Rec. Sent. V, 16. 6.* inter virum autem & vxorem quaedam eſſet omnium rerum diuinarum humanarumque communio. Sed Imperator reſcribit, tormenta adhiberi poſſe, tum, quia, vt diximus, mulier accuſata videtur adulterii: in quo crimine quaeſtio de ſeruis etiam in dominos locum habuit e *Lege Iulia* de adulteriis *L. 27. §. 6. D. ad L. Iul. adult. L. 1. C. de quaeſt.* tum, quia reuera ſeruus mariti, non communi vxoris atque viri, dominio continetur: at-

 que

que adeo vetus iſtud Romanorum inſtitutum, de ſeruis in caput domini non interrogandis, hac in cauſa non violatur. Alterum Traiani reſcriptum ad *Mummium Lollianum* hoc eſt, *ſeruos damnati, quia ipſius eſſe deſierunt, poſſe in eum torqueri.* Intelligenda haec eſt ſpecies cum Gloſſa, vt dominus, qui, iam antea alicuius criminis damnatus, omnia bona ſua atque adeo dominium ſerui amiſerit, *L. 11 de bon. damn.* idem de alio iterum crimine accuſatus ſit. v. SCHVLTING. *Iurispr. Anteiuſtin. p. 493.* Neque enim ſeruus in caput eius domini, cui aliquando ſeruiuit, *in memoriam prioris dominii*, interrogari poteſt; PAVLL. *Rec. Sent. V, 16. 8.* adeo, vt idem etiam locum habeat in ſeruo ad metalla damnato *L. 17. §. vlt. D. de quaeſt.* Nam Tiberius quidem, callidus & noui iuris repertor, vt ſerui in caput domini torqueri poſſent, actori publico mancipari eos iuſſit, TAC. *Ann. II, 30.* v. LIPS. ad *h. L.* ſed minus recte & in fraudem Legis. Quod autem Traianus reſcripto ſuo iubet, ſeruos damnati in ipſius caput torqueri; in eo ſane aequiſſima ratione vſus eſt. Deſierunt enim iure eſſe ipſius, qui, antea iam damnatus criminis, omnibus bonis excidiſſet. Tertio reſcripto Traianus conſtituit, *ſi ſerui quaſi ſceleris participes in ſe torqueantur, deque domino aliquid fuerint confeſſi apud iudicem; prout cauſa exegerit, ita eum pronunciare debere.* Serui in caput domini nulla ratione torqueri interrogarique poterant, atque adeo ſi vnius eiusdemque criminis ſocietate conſtricti fuiſſe dicerentur dominus & ſeruus, tamen de ſeruo in caput domini quaeri non poſſe, mani-

feſti

feſti iuris erat, hac eadem *L.* 1. §. 5. *D. de quaeſt.* Iam ſi, quaſi ſceleris participes, in ſe torti, de domino confeſſi fuiſſent, quid ſtatuendum, conſultus a Proconſule Traianus reſcribit, iſtam ſeruorum in equuleo confeſſionem de domini maleficio non eſſe negligendam, ſed prout cauſa exegerit, ita iudicem ſtatuere oportere, fides ei ſit habenda, nec ne; & ita deinde proconſulem pronunciare *oportere, prout cauſa exegerit;* ſed ne tamen ius Ciuile penitus euerteret, conditionem hanc adiecit: *ſi ſerui quaſi ſceleris participes in ſe torquean-tur,* & in hac quaeſtione *de domino aliquid fuerint confeſſi.* Cum enim in dominum torqueri prohiberentur: in ſe autem, de ſceleris communione, poſſent: a iure Ciuili non abhorrebat, ſi in ſe torti, confeſſi de domino fuiſſent, id contra dominum valere. Erat hoc contra Ciuile ius, inquis. Nam ſi ſerui vltro aliquid de domino confeſſi fuiſſent, ne dominorum ſalus arbitrio ſeruorum committeretur, eam rem fraudi domino eſſe non oportere, conſtat *L.* 1. §. 5. *D. de quaeſt.* & PAVLL. *Rec. Sent. V,* 16. 4. Primum hoc poſſem reſpondere: Imperatorem etiam contra ius Ciu. ſtatuere potuiſſe, vbi id vſus reip. exigeret. Nam Imperatori e Lege Regia, ap. GRVT. *Inſcr. p. CCXLII. qualecunque ex vſu reip. maieſtate diuinarum humanarum, publicarum priuatarumque eſſe, cenſuerit, agere facere, ius poteſtasque erat, & quaecumque rogata, acta, geſta, decreta, imperata ab Imperatore, iuſſu, mandatuue eius a quoque eſſent, perinde iuſta rataque, ac ſi populi plebiſue iuſſu acta eſſent.* Atque in prouinciis quidem liberior erat de iure

 ſta-

ſtatuendi poteſtas, quod non omne ius Ciu. eo eſſet porrectum. Verum hac ratione non vtar. Nam quod PAVLLVS *l. c.* & ICtus *laud. l. 1.* aiunt; id poſt Traianum benigna ratione, conſtitutionibus poſterioribus vſu adprobatis, inductum eſt ſine dubio. Et videtur id ipſe ſignificare h. l. VLPIANVS: *Sed ab hoc reſcripto receſſum conſtitutiones poſteriores oſtendunt.* Quae enim conſtitutiones, ab eo relatae, ſeruis in ſe tortis, & de domino confesſis, fidem habendam vetant, eae Traiano poſteriores ſunt. Cum enim Reſcripta principum ea esſent vi atque conditione, vt iis tantum cauſis, de quibus data eſſent, ius praeſcriberent, vt oſtendit BRENCMANN. *de Heuremat. Modeſtin. c. VII. p.* 130. *ſqq.* optimo iure inde recedere Imperatores poſteriores poterant. Neque vero ipſe Imp. Traianus aliam ſuis reſcriptis vim tribuiſſe videtur, quod noluit *ad alias cauſas*, quam de quibus data eſſent, *facta* h. e. reſcripta, *proferri* auctore Macrino Imp. apud CAPITOLIN. *in vit. ei. c. 13.* Quod autem poſteriorum principum reſcripta de ea re in ius abierunt, auctoritatemque acceperunt, id ideo factum eſſe cenſeo, quod eorum ſententia longo vſu in iuriſdictione ac iudiciis adprobata, & ICtorum etiam reſponſis confirmata eſſet: Neque enim aliter e reſcriptis ius vniuerſale proficiſci potuiſſe, docet BRENCMANN. *loc. laud.* Quod autem hic apud VLPIANVM commemoratum eſt, Traiani reſcriptum quartum, id Heurematicum ſiue conſilium eſſe, Pro-Coſſ. ac Prouinciarum Rectoribus propoſitum, & propter aequitatem ac prudentiam a ICtis comprobatum, arbi-

arbitror. Cum enim in quaeſtionibus per inconſultas magiſtratuum interrogationes facile fieri poſſet, vt quodammodo ſuggerere reis, quid reſponderent, viderentur: prudentisſime monuit, ne *ſpecialiter interrogarent*, v. c. *an Lucius Titius homicidium fecerit; ſed generaliter, quis id fecerit. Alterum enim*, inquit, *magis ſuggerentis, quam requirentis videtur.* Quam bene autem reis, interrogatione magiſtratuum, conſuli posſit, vt elabi queant, exemplum Auguſti apud SVETON. *c.* 33. docet. Is enim *manifeſti parricidii reum, ne culeo inſueretur, quod non niſi confeſſi adficiuntur hac poena, ita fertur interrogaſſe: Certe patrem tuum non occidiſti.* Iam autem ne quis dubitet, ab Impp. etiam eiusmodi heurematica profecta ac propoſita fuiſſe, auctorem dabo Neronem, ap. SVET. *c.* 17. a quo Imp. cautum eſt teſtatoribus, ne, a teſtibus inſpecta heredis inſtitutione, aliquid aduerſus tabulas falſi intercedere poſſet: monitumque, vt *in teſtamentis primae duae cerae, teſtatorum modo nomine inſcripto, vacuae ſignaturis oſtenderentur: & ne tabulae niſi ter pertuſae ac ter lino per foramina traiecto obſignarentur.* Quid? quod ipſe Imp. IVSTINIANVS, parentibus pupillarem ſubſtitutionem ſuſcipere volentibus, aduerſus fraudes machinationesque ſecundorum heredum in caput impuberis, conſilium aliquod remediumque propoſuit §. 3. *Inſt. de pupill. ſubſtit.*

VLPIAN. LIB. I. AD SABIN.

Qui teſtatur, heredis inſtitutione plerumque debet initium facere teſtamenti: Licet etiam ab ex

exhereditatione, quam nominatim facit. Nam D. Traianus reſcripſit, poſſe nominatim etiam ante heredis inſtitutionem filium exheredare.

L. 1. D. pr. de hered. inſtit.

Deſumtum hoc fragmentum eſt ex VLPIANI *L. I. ad Sabinum* h. e. ad Sabini libros Iuris Ciuilis, quibus certae regulae iuris certa quadam via ac ratione propoſitae fuere. Qui libri Sabiniani tanta apud ſequentes ICtos auctoritate habiti ſunt, vt certatim eos commentariis illuſtrarent ſuis. Eiusmodi commentarii fuere Libri VLPIANI ad *Sabinum*, e quibus haec particula decerpta eſt. In quibus, quam ſecutus rationem fuerit, tenendum videtur. Primo plerumque propoſuit ipſa Sabini verba: deinde ſuam ipſius adnotationem, explicationemque ſubiecit, & inprimis oſtendit exceptiones, quibus regula Sabini ſit quaſi circumſcribenda. v. *L. 1. D. de his quae in teſt. del.* Iam haec ad ipſum hoc fragmentum nobis propoſitum, age, transferri poſſint, nec ne, videbimus. Id autem vnicuique ſua ſponte patebit, ſi quidem voluerit animum aduertere: *Qui teſtatur, ab heredis inſtitutione plerumque debet initium facere teſtamenti,* ipſius Sabini eſſe verba, ac deinde Vlpiani exceptiones ſequi. Ait Sabinus: *Qui teſtatur ab heredis inſtitutione plerumque debet initium facere teſtamenti.* Vetuſta teſtamenti ſcribendi ratio haec erat, vt nomini teſtatoris ſecundo verſu ſtatim ſubiiceretur heredis ſcripti nomen, ante omnia cetera, quae teſtamento adſcriberentur. Vnde HORAT. *Serm. II, 5.*

quid

quid prima ſecundo
Cera velit verſu, ſolus multisne coheres.

Quae ratio inde ducta eſt, quod heredis inſtitutio omni reliquo teſtamento vim roburque adderet. Iam ex interpretatione prudentum introductum hoc eſt, vt quia teſtamenta omnem vim ſuam auctoritatemque ab heredis inſtitutione tamquam a capite ſuo arceſſunt, inutiliter aliquid in teſtamento ante heredis inſtitutionem conſtitueretur. *Ante heredis inſtitutionem* igitur *legari non poteſt, quoniam & poteſtas teſtamenti ab heredis inſtitutione incipit.* VLPIAN. *fragm. XXIV*, 15. Atque adeo quod legatum ante eſſet, relinqui extra teſtamentum videbatur. THEOPHIL. ad §. 4. *Inſt. de legat.* cf. PAVLL. *Rec. Sent. III*, 6. 2. Sed regula haec Sabini non vniuerſalis erat; dicit enim: *plerumque.* Quare ei ſubiicit exceptionem VLPIANVS hanc: *Licet etiam ab exheredatione, quam nominatim facit:* Nam exheredatio nominatim facta quaſi locum obtinet heredis inſtitutionis, propterea, quod teſtamentum faciens, qui filium habet in poteſtate, curare debet, vt aut nominatim inſtituat heredem, aut nominatim exheredet. CAI. *Inſt. II*, 3. *pr.* VLP. *fragm. XXII*, 16. Quare etiam ab exheredatione nominatim facta teſtamenti poteſt initium fieri. Id iuris autem Reſcripto D. Traiani in eam ſententiam dato confirmatur a ICto: non, quo Reſcriptum facere ius vniuerſale potuerit: Etenim hoc in ea cauſa tantum, ad quam datum eſt, ius facit: vid. BRENCMANN. *de Heuremat. Modeſtini c. VII. p.* 130. *ſqq.* cf. SCHVLTING. *pro Reſcript. Impp.* Sed, quoniam, quod

quod Traianus reſcripſerat, id vſu atque obſeruatione, comprobatum, in mores & conſuetudinem abierat: atque adeo tunc iuris auctoritatem obtinebat. Ceterum & aliae ſunt exceptiones, quibus iſta regula infringitur: Nam v. c. fideicommiſſum quoque ante heredis inſtitutionem dari poterat, VLPIAN. *fragm. XXV*, *8.* propterea quod huius natura erat benignior, nec formula obligata, & quia in teſtamento id relinqui, non eſt neceſſe. Sed omnis haec ſubtilitas iuris, Iuſtiniani conſtitutione, ſublata eſt §. 34. *Inſt. de Legat.* ita vt non neceſſe ſit ab heredis inſtitutione exordium teſtamenti capere, ſed & ante, & poſt heredis inſtitutionem & inter medias inſtitutiones legari poſſit.

VLPIANVS LIB. XLV. AD EDICTVM.

Militibus liberam teſtamenti factionem primus quidem Diuus Iulius Caeſar conceſſit, ſed ea conceſſio temporalis erat, poſt ea vero primus D. Titus dedit, poſt hoc Domitianus, poſtea D. Nerua pleniſſimam indulgentiam in milites contulit, eamque & Traianus ſecutus eſt. Et exinde mandatis inſeri coepit caput tale. CAPVT EX MANDATIS: Cum in notitiam meam prolatum ſit, ſubinde teſtamenta a commilitonibus relicta proferri, quae posſint in controuerſiam deduci, ſi ad diligentiam legum reuocentur & obſeruantiam: ſecutus animi

mei

mei integritudinem erga optimos fideliſſimosque commilitones, ſimplicitati eorum conſulendum exiſtimaui: vt, quoquo modo teſtati fuiſſent, rata eſſet eorum voluntas. Faciant igitur teſtamenta, quomodo volent; faciant, quomodo poterunt, ſufficiatque ad bonorum ſuorum diuiſionem faciendam nuda voluntas teſtatoris.

L. 1. *pr. D. de teſt. mil.*

cf. *pr. Inſt. quib. non eſt perm. teſt. fac.*

VLPIANVS hoc loco caput *Mandatis* a Traiani inde aetate inſeri ſolitum conſeruauit. *Mandata* a Caeſaribus dabantur ſuarum prouinciarum rectoribus, Legatis Aug. Pro-Pr. in quibus ipſis & fines poteſtatis, & officia, ac multa praeterea alia ad adminiſtrandam prouinciam ſpectantia, praeſcribebant. De quibus plura dicere ſuperſedeo, quod Magnus CVIACIVS in *Expoſitio. Nouell. ad Nouell. XVII.* ei argumento cumulate ſatisfecit. cf. GVTHER. *de Off. dom. Aug. I,* 33. Hoc non poſſum facere, quin moneam, Rectores prouinciarum mandata Principum edictis ſuis promulgaſſe. Intelligitur id cum e PLIN. *ep. X,* 97. & *m.* tum e *L.* 6. §. 1. *D. de cuſtod. reor.* Quod tamen in ea mandata non eſt conferendum, quae ſecreta vel occulta dicebantur, quale fuit illud, quod ap. TAC. *An. II,* 43. a Tiberio Piſoni datum fuiſſe quorundam fuit opinio. Ceterum vero, quae ad ipſam militum teſtamenti factionem attinent, ea quoniam in omnibus Iuris compendiis explicantur, praetermittenda ducimus. Ad ſuperioris autem Traiani conſtitutionis vberiorem explicationem ſpe-

etat Reſcriptum eiusdem, quod memoriae prodidit ac literis FLORENTINVS *Lib. X. Inſtitutionum. L. 24. D. eod. Diuus Traianus,* inquit, *Statilio Seuero ita reſcripſit: Id priuilegium, quod militantibus datum eſt, vt quoquo modo facta teſtamenta ab his rata ſint, ſic intelligi debet, vt vtique prius conſtare debeat, teſtamentum factum eſſe: quod & ſine ſcriptura & a non militantibus fieri poteſt. Si ergo miles de cuius bonis apud te quaeritur, conuocatis ad hoc hominibus vt voluntatem ſuam teſtaretur, ita locutus eſt, vt declararet, quem vellet ſibi eſſe heredem, & cui libertatem tribuere: poteſt videri ſine ſcripto hoc modo eſſe teſtatus, & voluntas eius rata habenda eſt. Ceterum ſi, vt plerumque ſermonibus fieri ſolet, dixit alicui: EGO TE HEREDEM FACIO, aut: TIBI BONA MEA RELINQVO: non oportet hoc pro teſtamento obſeruari. Nec vllorum magis intereſt, quam ipſorum, quibus id priuilegium datum eſt, eiusmodi exemplum non admitti. Alioqui non difficulter poſt mortem alicuius militis teſtes exiſterent, qui adfirmarent, ſe audiſſe dicentem aliquem relinquere ſe bona, cui viſum ſit: & per hoc iudicia vera ſubuerterentur.* Quod reſcriptum iisdem verbis repetitum, in *Inſtitut. L. II. t. 11. §. 1.* reperitur. Datum autem hoc reſcriptum eſt ad CATILIVM SEVERVM: ſic enim legendum eſſe, docuere viri eruditi: non quemadmodum vulgo editum eſt: STATILIO SEVERO: quae lectio decepit Virum Magnum, IAC. CVIAC. *Not. ad Inſt. l. c.* vt putaret *Statilium* in *L. 35. D. de ſeru. P. R.* ab ATTILICINO ICto memoratum, eſſe eundem

quod

quod, etiamſi hic apud FLORENTINVM recte legeretur: *Statilio*, ferri tamen non poſſet. Etenim ATTILICINVS vixit tempore Neronis: hic autem Traiani. Deinde in *L. 35. de ſeru. P. R.* dicitur *Statilius Taurus*: hic cognominatur *Seuerus*. Sed hic CATILIVS SEVERVS eſt ſine dubio idem, ad quem eſt epiſtola PLINII *III, 12.* Proauus maternus eſt Diui Marci. CAPITOLIN. (*) *vit. Marc. c. 1.* V. WESTENBERG. V. C. *ad Conſtit. Diu. Marc. Diſſ. I. p. 3.* Praeſes Syriae ab Hadriano ſtatim poſt mortem Traiani factus SPARTIANO auctore *vit. Hadr. c. 7.* Bis Conſul, & praefectus vrbi, ſed hac dignitate ab eodem Hadriano priuatus. SPARTIAN. *Hadr. c. 23. p. 207. t. I.* in *Script. Hiſt. Aug. ed. Hack.* Ceterum ne in hoc Reſcripto, facillimo illo, atque clariſſimo, explicando orationem conſumeremus, fecit ea ſententia, quod verebamur, ne quis nos & otio putaret, & litteris abuti velle. Ceterum cum ex his Traiani conſtitutionibus, tum ex VLPIAN. *fragm. XXIII, 10.* intelligitur, olim milites hoc teſtamenti faciendi iure ac priuilegio vſos fuiſſe, ſine vlla conditione, ſine vllo certo definitoque modo, quocumque tempore, quacumque ratione vellent. Tum vero ipſe IVSTINIANVS Imp. *pr. Inſt. de mil. teſt. & L. 17. C. de teſt. mil.* profitetur, ſe auctorem fuiſſe, vt illud militum priuilegium ad expeditionum tempora adſtringere.

(*) v. de hoc CAPITOLINI loco WESSELINGII, Viri Cel. cuius vel nomen ipſum omnibus Muſis gratiſſimum eſt, *Obſ. I, 23.* vbi eum locum, more ſuo, egregie tuetur.

geretur. E qua re certum eſt, indubitatumque, quod in *L. 1. L. 15. C. eodem* priuilegii iſtius haec conditio tam anguſta commemoratur, id a Triboniano profectum eſſe oportere, vti docuete GIPHANIVS ad *d. L. 1.* DONELLVS *Comment. VI, 28.* IAN. a COSTA ad *pr. Inſt. de mil. teſt.* V. SCHVLTING. *Iuriſpr. Anteiuſtin. p. 648.*

ARRIVS MENANDER LIB. I. DE RE MIL.

Qui cum vno teſticulo natus eſt, quiue amiſit, iure militabit, ſecundum D. Traiani reſcriptum. Nam & duces Sulla & Cotta memorantur eo habitu fuiſſe naturae.

Reus capitalis criminis voluntarius miles, ſecundum D. Traiani reſcriptum capite puniendus eſt, nec remittendus eſt eo, vbi reus poſtulatus eſt: ſed, vt accedente militiae cauſa, audiendus, ſi dicta cauſa ſit, vel requirendus adnotatus.

Eum qui filium debilitauit dilectu per bellum edicto, vt inhabilis militiae ſit, praeceptum Diui Traiani deportauit.

L. 4. D. de re mil.

Cum in delectu agendo quaedam eſſent cauſae, quibus vacatio a militia daretur, interque eas haec vna, ſi quis corporis aliqua parte debilis: vnus ad delectum citatus ſe excuſatione hac tutum fore exiſtimauerat, quod vno tantum teſticulo eſſet inſtructus. Qua de re conſultus Traianus reſcripſit, iure eum militare oportere. Etenim

enim cum, eo vitio defectuue naturae, neque ad quoduis aliud munus, neque ad militiam, inhabilis quis efficiatur, cum eiusmodi etiam homo pro ſano in iure habeatur teſtarique poſſit *L. 6. de aedilit. edict.* non profecto militiam propterea poteſt recuſare, aut ſubterfugere. Adiicit ICtus exempla ducum imperatorumue ſummorum Sullae, Cottaeque, qui eo habitu naturae fuiſſent, quo magis eluceret, id vitium neminem impedire, quo minus ad munera militiae idoneus eſſe videatur. vid. de hoc Sullae Cottaeque vitio COEL. RHODIGIN. *Lection. Antiq. II, 37.* Idem ICtus ARRIVS MENANDER in §. *5. huius Legis* aliud litterarum monumentis conſignauit Traiani reſcriptum: quo de voluntario milite, criminis capitalis poſtulato, ſtatuit. Haec autem incidiſſe mihi quaeſtio videtur. Cum homo aliquis in aliquo loco criminis capitalis reus eſſet factus, is, quo poenam effugeret voluntario, ſuaue ſponte, nomen militiae dedit, tutum ſe fore a quaeſtione ratus. Quod vbi iſtius loci magiſtratui innotuit, ad Legatum Tribunumue Legionis litteris miſſis, flagitauit, vt ad poenam ſubeundam remitteretur. Id cum Legionis cohortisue praefectus exiſtimaret ſuae poteſtati in milites detrahere, ad Imperatorem ea de re retulit, vt, quid ſequendum eſſet, ſe certiorem redderet. Imperator vero reſpondit, eum reum capite puniendum apud ipſum exercitum eſſe, neque remittendum eo, vbi reus poſtulatus eſſet. Sed quod ad formam iudicii perſequendi attinet, quoniam nunc quidem inter milites eſſet, in cognitione de eo habenda rationem

quoque ducendam eſſe militiae. In militibus enim damnandis aliqua propria forma videtur obſeruata fuiſſe. Colligi id arbitror poſſe e loco PLINII *ep. VI, 33.* vbi Traianus in cognitione de adulterio Centurionis *commemorationem diſciplinae militaris adieciſſe ſententiae* ſuae dicitur. Atque ita hac noſtra interpretatione arbitror effici, vt verba: *vt accedente cauſa militiae*, ab emendane HALOANDRI & HVGONIS *a* PORTA, legentium: *vbi acc. &c.* tuta ac ſalua ſint. Sed poſterioribus verbis: *ſi dicta cauſa ſit, vel requirendus adnotatus*, quae poteſtas ſubiecta ſit, equidem expedire non poſſum. Neque multum abſum, quin in mendo eam ῥῆσιν cubare dicam. In §. 12. ICtus explicat nobis *decretum*, ſiue *ſententiam*, Imperatoris de eo, qui filium, delectu indicto, vt inhabilis militiae eſſet, debilitarat. Neque enim hic alium intellectum, niſi *decreti*, aut *ſententiae*, habere vocabulum: *praeceptum*, arbitror, propterea, quod Imperatores ſiue belli duces, delectum habentes, cauſas vacationum ipſi *noſcebant*, vt innumeris LIVII locis poteſt confirmari. v. I. F. GRONOV. *de Pec. Vet. IV, 3.* Cum delectu indicto quiuis ciuis R. reſpondere deberet, &, niſi vacationis cauſam probaſſet, nomen militiae dare: multi inueniebantur, qui, vt militiae neceſſitatem ſubterfugerent, quoniam debiles immunes eſſe a militia ſcirent, ſe aliquo membro, inprimis pollicibus, debilitare non dubitarent. *Murci* dicebantur. Neque credo, noſtris temporibus, neceſſitate delectus ingruente, iſtud crimen inauditum & nouum eſſe. Ei crimini apud Romanos in libera

bera rep. poena fuit propoſita, vt venditi in ſeruitutem addicerentur, quoniam eum liberum eſſe non iudicabant, qui, vt liber eſſet, periculum adire noluiſſet. CIC. *pro Caecin. c. 34.* Eiusque exempli reperimus in veterum annalium litterarumque monumentis grauia teſtimonia. Nam in C. quidem Vettieno, qui ſiniſtrae manus digitos, ne bello Italico militaret, ſibi abſciderat, hac ſeueritate vſus eſt Senatus, referente VAL. MAX. *VI, 3. 8.* vt, publicatis bonis, eum aeternis vinculis manciparet. Quod exemplum ſeueritatis Auguſtus quoque oſtendit, qui, pro veteri diſciplina, equitem R. quod duobus filiis cauſa detrectandi ſacramenti pollices amputaſſet, ipſum bonaque ſubiecit haſtae. SVET. *Aug. c. 24.* Atque hunc morem olim obtinuiſſe refert ipſe ARRIVS MENANDER in *hac Lege* §. *10.* ſed addit, *mutato ſtatu militiae receceſſum eſſe a capitis*, h. e. ſeruitutis, *poena.* Sanciendae igitur diſciplinae militaris cauſa D. Traianus quoque patrem, qui filium debilitauerat, pollicibus nempe amputatis, *deportauit*, inquit ICtus, h. e. deportari iusſit; quemadmodum accuſatores dicuntur reos *condemnare*, qui efficiunt, vt condemnentur. *Deportatio* autem, ſub Impp. in locum aquae & ignis interdictionis ſubſtituta, hanc vim habet, vt, ademta ciuitate ac libertate, publicatisque bonis, quis inſulae indagine includatur. v. SCHVLTING. *Iurispr. Anteiuſtin. p. 48.* & BYNKERSHOEK. v. c. *Obſ. VI, 22.* Ceterum ex hoc loco ARRII MENANDRI intelligi poteſt, Traianum quoque adhuc delectum habuiſſe. Nam quam-

quam ſub Impp. mutato militiae ſtatu, cum, legionibus perpetuis conſtitutis, numeri militum per voluntarios ſupplerentur, raro fiebat delectus; fiebat tamen non numquam, nouaeque legiones ab Impp. conſcribebantur v. DODWELL. *Prael. Cambd. V. p. 261.* Sic Auguſtus poſt cladem Varianam, delectu habito, legiones nouas conſcripſit: SVET. *c. 23.* vnam Galba in Hiſpania, *Galbianam* inde dictam; TAC. *Hiſt. II, 11. III, 25.* aliique, quorum catalogum quendam texit DIO CASSIVS. Quare Traianus quoque nouas legiones videtur inſtituiſſe. Nam quoniam delectum ab eo indictum refert MENANDER ICtus, delectus autem conſcribendarum legionum cauſa habebatur: hanc inde coniecturam duci poſſe autumo. Id autem quando ſuſceptum fuerit, ſi quis contendat ſibi explicari: hanc ſcito eſſe opinionem meam; factum id eſſe tum, cum in Decebalum Dacorum regem expeditionem pararet ſecundam: quae facta eſt *a. Chr. CV.* labente v. MASSON. *vit. Plin. iun. ad h. a. p. m. 54.* Cum enim Imperator intelligeret grauiſſimum illud, difficillimumque fore bellum, aduerſus hoſtem extrema moliturum; eum, probabile eſt, nouis ſe viribus copiisque, ad id bene feliciterque gerendum, confirmare voluiſſe. Vnde huic decreto quoque, ab ARRIO MENANDRO commemorato, tempus ſuum licebit adſignare.

PAVL-

PAVLLVS LIB. XXXVIII. AD EDICTVM.

Quae bona fide geſta ſunt a tutore, rata habentur etiam ex reſcriptis Traiani & Hadriani.

L. 12. §. 1. D. de adm. & per. tut.

PAVLLVS hoc libro de tutelis egit, vt ex *L. 1. D. de tutel. L. 20. de teſtam. tut.* aliisque ex eodem libro depromtis, ſatis ſuperque adparet. Iam cum quaereretur, vtrum pupillus rem ſuam, legitime diſtractam alienatamue, a tutore vindicare poſſet: ICtus rata eſſe habenda cenſet, quae a tutore bona fide geſta ſint, ſine diſcrimine, ſiue tutor ſoluendo ſit, ſiue pariare rationes poſſit, nec ne. Intereſt enim quam maxime pupillorum, adminiſtrationem tutorum bona fide geſtam ſuſtineri, confirmatamque ſubſiſtere, ne, adminiſtratione eorum promiſcue reſciſſa, damnoſum id pupillis perniciosſumque ſit, hominibus cum iis contrahere detrectantibus. *Nam et inutile eſt pupillis,* inquit, *ſi adminiſtratio eorum non ſeruatur: nemine ſcilicet emente; nec intereſt, tutor ſoluendo fuerit nec ne: cum, ſi bona fide res geſta ſit, ſeruanda ſit: ſi mala fide, alienatio non valet. Inutile* eſt damnoſum v. CVIAC. *Iul. Paull. ad edict. Lib. XXXVIII. p. m. 238.* Atque hanc ſuam ſententiam, ſua ſponte veram, etiam auctoritate Traiani confirmat, qui in eadem cauſa conſultus, ita reſcripſerat: quod Hadrianus etiam deinde fuerat ſecutus. ICtorum conſuetudo eſt, vt ſententiae ſuae

reſcriptis Impp. vim roburque addere ſtudeant, ſi quidem ea reſcripta in ius conſuetudinemque abiiſſent.

PAVLLVS LIB. LIV.
AD EDICTVM.

Tutor ex auctione rem pupilli, quam eius putabat eſſe, emit. Seruius ait, poſſe eum vſucapere: in cuius opinione decurſum eſt, eo, quod deterior cauſa pupilli non ſit, ſi propius habeat emtorem, & ſi minoris emerit, tutelae iudicio tenebitur, ac ſi alii minoris addixiſſet, idque a Diuo Traiano conſtitutum dicitur.

L. 2. §. 8. D. pro emt.

PAVLLVS, cum toto *libro LIV. ad Edictum* de poſſesſionibus & vſucapionibus egerit, in loco quidem de vſucapionibus in eam quaeſtionem incidit, quae hic proponitur, vtrum tutor in auctione rerum pupillarium rem alienam, a pupillo bona fide poſſeſſam, poſſet vſucapere. Nam quamquam tutor rem pupilli, quae emi vendi posſit, quia ipſe in venditione auctor eſſe debet, neque idem emtoris & venditoris munere fungi poteſt, a ſe emere non poteſt, *L. 34. §. vlt. de contr. emt. L. 5. §. 4. D. de auct. tut.* tamen, contutore auctore, diſtrahente, rei pupilli emendae, etiam ex auctione haſtae rerum pupillarium, ius ei poteſtasque eſt, *L. 5. C. de auct. tut.* etiamſi ipſe auctioni praeſit. Nemo enim ex auctione, quam ipſe

ipſe alieno nomine facit, prohibetur emere: tamquam Comes rerum priuatarum Principis, & Palatinus, & Aduocatus fiſci ex auctione publ. quam ipſi faciunt, addicere ſibi poſſunt, *L. vlt. C. de reſcind. emt. L. vlt. de fid. & iur. haſt. fiſc. Lib. X.* cuius textus Graecus a CVIACIO reſtitutus eſt in *Comment. ad tres poſter. lib. Cod. p. m. 23.* Igitur ſi ex auctione rerum pupillarium emerit rem alienam, a pupillo bona fide poſſeſſam, vſucapere poteſt pro emtore. De re autem aliena, bona fide a pupillo poſſeſſa, intelligendam *hanc L.* eſſe, intelligitur cum inde, quod dicit ICtus: *rem quam eius putabat eſſe*, tum ex eo, quod ſi rem pupilli propriam tutor emerit, ſtatim dominium eius ad ipſum tranſit, nec vſucapioni locus patet, quoniam nemo rem ſuam vſucapit. Ceterum in noſtra Lege huius, de vſucapione rerum pupillarium a tutore emtarum, ſententiae auctor dicitur fuiſſe Seruius Sulpicius, *in cuius opinione decurſum eſt*, h. e. cuius opinio, vſu, atque tempore diuturno, ceteris omnibus praeualuit. Rationem autem huius vſucapionis ICtus edit hanc, *quod deterior pupilli conditio non fit, ſi propius habeat emtorem. Deterior non fit*, eſt λιτότης, & ſignificat: *melior fit* conditio pupilli. Etenim melior reuera fit conditio pupilli, ſi propius habeat emtorem, nec ſit ei neceſſe diutius operiri, aut longius quaerere poſſeſſorem emtoremue rei pupillaris: ſi tutor ipſe, qui auctionem faciat, ipſe quasdam res ſua pecunia emat. Ac propter hanc vtilitatis rationem receptum eſt, vt pro emtore vſucapiat tutor, qui ex auctione

rem pupilli emerit. Sed exigitur, vt bona fide emat *L. 5. C. de contr. emt. L. 5. §. 4. D. de auct. tut.* Etenim ſi ex auctione dolo malo minoris addixiſſet ſibi, eo nomine non minus iudicio tutelae tenetur, quam ſi alii rem malo conſilio minoris addixiſſet. *Idque a Diuo Traiano conſtitutum dicitur. Conſtitutum* h. e. reſcriptum. Nam *conſtitutionis* vocabulum, quamquam reſcripta, decreta, interlocutiones, edicta quoque ipſa, tamquam genus formas ſuas, complectitur, tamen, quando in Digeſtis occurrit, vix aliam vim habere videtur, quam *reſcripti.* v. BRENCMANN. *de Heuremat. Modeſtin. c. VII. p. 145.* Imperatores enim, ſi quid iuris vniuerſe ſtatui vellent, qua adhuc tum modeſtia erant, Senatui oratione, vel libellis, per Quaeſtorem Candidatum principis recitatis, quid ſibi videretur, quid vtile, reique publ. ſalutare, cenſerent, oſtendebant; atque ita id, quod cenſuerant, SCto confirmatum auctoritatem Legis conſequebatur. Ceterum vero, vt ad hoc, de quo agitur, reſcriptum Traiani, reuertatur oratio, conſultus videtur fuiſſe Imp. de tutore, qui in auctione rem pupilli dolo malo minoris, quam par erat, addixiſſet ſibi; quid de hoc ſtatuendum. Reſcripſit Imp. eum iudicio tutelae teneri, vt vel ipſe vel heredes eius, finita tutela, rationum reddendarum cauſa, ſarciendique damni, vel lata vel leui culpa dati, pulſentur actione. Itaque & hoc damnum dolo malo tutoris pupillo illatum, quod ſibi minoris rem pupilli in auctione addixit, eo in iudicio reſtituendum: idque, eodem, ac maiori etiam iure: *ac ſi rem illam alii*

minoris

minoris addixiſſet. Etenim etiamſi dolo malo, vel propter ambitionem & gratiam, feciſſet, vt res pupillaris ad alium minori pretio veniret, damni eo nomine dati, iudicio tutelae teneretur. *Addicere* autem vocabulum eſt auctioni & haſtae proprium, quo ſignificatur, rem penes aliquem ponere. v. CVIAC. *Iul. Paull. ad Edictum Lib. LIV. p. m. 62.*

POMPON. LIB. VI. EPISTOL. ET VAR. LECT.

Si quis ſui alieniue honoris cauſa opus facturum ſe in aliqua ciuitate promiſerit, ad perficiendum tam ipſe quam heres ex conſtitutione D. Traiani obligatus eſt.

L. 14. pr. D. de pollicit.

Cum Diuus Traianus ciuitatum decus inprimis amplificari cuperet, earundemque dignitatem, inprimis extructis, conſtitutisque operibus publicis, ſurgere ſciret: conſtituit, vt, quamquam alioqui pollicitatio nuda obligationem actionemque non adferret, tamen, ſi quis ſui alieniue honoris cauſa in ciuitate aliqua opus ſe facturum eſſe promiſiſſet, ei perficiendo, abſoluendoque & ipſe, &, eo mortuo, heres eius, obligatus obſtrictusque teneretur. Ex iis enim, quae ſupra a nobis ad *SCtum Apronianum*, dicta ſunt, et ad *reſcriptum de peculatu* infra diſputabuntur, abunde intelligi poterit, quam impenſe hic Imperator, ciuitatum decus, amplitudinemque augere, tuerique, laborarit.

rit. Eſt hoc profecto principis magno animo, & magna complexi, vt, quae ſub ditione ſua contineantur, cum iis omnibus felicitatem atque commoditatem ſaeculi ſui communicari contendat. Cum vero, cui hanc Traianus vim attribuit, pollicitatio ſit offerentis ſolius promiſſum: ab ea omnis acceptatio excluſa eſſe & remota intelligitur. VLPIANVS enim in *L. 3. pr. h. t.* *Pactum eſt*, inquit, *duorum conſenſus & conuentio. Pollicitatio vero offerentis ſolius promiſſum.* Neque vero dubium eſt, quin, ob ſingularem alicuius rei vel diuinae vel humanae in ciuitate aliqua dignitatem, conſtitutum ſit, vt pollicitatio vim obligationemque adferat. Quae ſi Deo ſit, *votum* ſpeciatim dicitur, *L. 2. §. 1. 2. D. h. t.* ſi Reip. *pollicitationis* nomine κατ' ἐξοχὴν adpellatur. *L. 1. pr. §. 1. D. eod.* Hac autem, vel ad opus faciendum, vel pecuniam dandam, ſe quis adligat. *L. 1. pr. eod.* Quamquam vero praecipuo quodam fauore pollicitatio ornata eſt; tamen receptum eſt, vt, non qualis qualis promiſſio iſti obligationis neceſſitati adſtricta ſit. Neceſſe eſt enim primo, in ea interponenda *iuſtam cauſam* interceſſiſſe: cuius generis eſt, ſi, propter honorem vel magiſtratum ſibi decretum, decernendumue, quis quid promiſerit *L. 1. §. 1. L. 3. pr. L. 6. pr. L. 9. L. 11. L. 13. h. t.* vel ſi quis ad eam liberalitatem commotus ſit, quod ciuitas grauiorem aliquem caſum, incendium, terrae motum, ruinam, vel i. g. a. ſit infeliciter paſſa. *L. 4. L. 7. eod.* Quod tamen hac exceptione ſolutum eſt, vt, tametſi quis ſine iuſta cauſa pollicitus ſit, tamen, ſi opus iam coeptum pendeat, id perficere,

re, & abſoluere tenetur. *L. 1. §. 2. 3. L. 3. pr. eod.* vid. Cel. WESTENBERG. *ad Conſtit. D. Marc. Diſſ. XXV. p. 256.* Iam porro, pollicitatio, quamuis, vt oportet, ex iuſta cauſa fiat, tamen, quo vinculum obligationemque adferat, id ſatis non eſt, niſi etiam fiat coram, *apud Remp. L. 9. D. eod.* Etenim, ſicut nec ſtipulatio, ita nec ipſa rata eſt, atque iure ſuo munita, cum per epiſtolam interponitur, *L. 5. eod.* In quo quidem alia differentia inter pollicitationem pactumque cernitur, quam & in definitione verbum *offerendi* ſatis declarat. Neque enim abſenti recte quis dicitur *offerre*, ſed praeſenti. *L. 25. D. depoſ.* Pactum autem per epiſtolam, ab abſente miſſam abſenti, recte conſtat fieri. *L. 3. D. de pact.* v. CVIAC. *Obſ. XXVI, 19.* In quo quamquam in alia omnia diſcedit Vir Cel. BYNKERSHOEKIVS *Obſ. VI, 13.* exiſtimatque etiam per epiſtolam, ab abſente miſſam, reip. recte promitti: tamen nondum a me potui impetrare, vt eius auctoritati ſententiam condonarem meam. Quod enim putat, in *L. 5. h. t.* pollicitationem validam non eſſe propterea, quod ICtus nullam cauſam edendi muneris reddat: vereor, vt, quia VLPIANVS ibi rationem ſententiae ſuae hanc edit, quod per *epiſtolam abſens* pollicitus ſit, ſatis ſubtiliter atque legitime rationes collegiſſe ſuas videatur. Quamquam vero Iure Ciuili, quod a defuncto debebatur, id heres quoque praeſtare tenetur: tamen in hoc de pollicitationibus loco id nonnumquam fallit. Atque hac quidem in cauſa, ſi pollicitatio ob honorem fuerit facta, quod promiſſum eſt, id quaſi debitum exigitur, etiam ab herede,

de, ſine vlla diminutione *L. 5. pr. L. 6. pr. h. t.* At quoties non eſt ob honorem facta pollicitatio, diminutioni locus eſt *L. ead. 6.* Atque hoc quidem primus conſtituiſſe videtur D. Traianus, vti memoriae prodidit POMPONIVS, vt, ſi quis ſui alieniue honoris cauſa opus facturum promiſiſſet, ad id perficiendum teneretur, cum ipſe, tum heres eius, & quidem in ſolidum, vti ex ſequenti POMPONII oratione patet. At, inquit, ſic repugnat POMPONIVS VLPIANO in *L. 6. pr.* & MODESTINO in *L. 9. h. t.* neque ſibi conſtat ipſi. Nam MODESTINVS quidem ait: *ob id vero, quod opus promiſſum coeptum eſt, ſi bona liberalitati ſoluendo non fuerint, extraneum heredem in quintam partem patrimonii defuncti, liberos in decimam teneri Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.* POMPONIVS autem poſtquam noſtram, Q. D. A. Traiani conſtitutionem expoſuiſſet, ſubiicit: *Sed ſi quis ob honorem opus facturum ſe in ciuitate aliqua promiſerit, atque inchoauerit, & priusquam perficeret, diſceſſerit, heres quidem extraneus eius neceſſe habet aut perficere id, aut partem quintam patrimonii relicti ſibi ab eo, qui id opus facere inſtituerat, ſi ita mallet, ciuitati, in qua id opus fieri coeptum eſt, dare: is autem, qui ex numero liberorum eſt, ſi heres extitit, non quintae partis, ſed decimae concedendae neceſſitate adficitur: & haec Diuus Antoninus conſtituit.* Quae loca propterea integra adpoſui, vt, in quo diſcreparent, in quo conuenirent, facilius poſſet intelligi. Iam vt pugnam illam dirimeret, BYNKERSHOEKIVS *l. c. p. 133.* primo ponit, *L. 6. pr.* de pecunia tantum promiſſa agere;

re; atque pecuniam promiſſam tantummodo ſine diminutione ab herede ſoluendam eſſe: Deinde & POMPONIVM & MODESTINVM in *l. c.* de vna ea ſpecie agere, ſi bona liberalitati non fuerint ſoluendo, & in hac ſpecie, quamuis quis ob honorem fuerit pollicitus; tamen heredem non in ſolidum teneri: putatque idem Reſcriptum *Antonini* eſſe, quod laudent MODESTINVS ac POMPONIVS. Singula conſiderare animus eſt. Quod primum dicit, *L. 6. pr.* de pecunia promiſſa capiendam eſſe, atque hanc tantum in ſolidum ſoluere heredem teneri: verum hoc eſt, atque conſtitutum. Pecunia enim non ob honorem promiſſa ab herede non debetur ex auctoritate *L. 10. h. t.* Sed quod ad alterum attinet, quod vnam eandemque ſpeciem, idemque adeo reſcriptum *Antonini* in *L. 9. & 14.* eſſe exiſtimat, in eo vero adſentientem me ſibi non habebit. Nam in *L. 9.* additur, *ſi bona ſoluendo non fuerint*, in *L. 14.* non item: in illa laudatur Reſcriptum *Seueri & Antonini:* ſc. Caracallae; in hac *Diui Antonini:* ſc. Pii. Nam POMPONIVM ſub Hadriano Antoninoque Pio vixiſſe, dudum oſtenderunt Viri eruditi: adeoque fieri non poteſt, vt Reſcriptum Caracallae commemorarit. Equidem, ſi meam ſententiam interponere licet, ſic ſtatuo. Hoc vniuerſe certum eſt: Quod opus quis honoris cauſa promiſit, ad id praeſtandum heres quoque tenetur in ſolidum: Atque hoc eſt, quod *L. 6. pr. L. 9. pr. & L. 14. pr.* e conſtitutione Traiani, fieri iubent. Sed ſi quis non ob honorem, nec alia iuſta de cauſa, promiſerit: locum habet deminutio polli-

pollicitationis in perſona heredis *L. 6. pr. eod.* atque ita quidem vt, ſi quis neque ob honorem, neque ex iuſta cauſa pollicitus, opus tamen inchoaverit; ſi bona integro operi non ſufficiant, heres, ſi extraneus ſit, quintam hereditatis partem, ſi e liberis, decimam praeſtare teneantur. Ita enim capienda eſſe verba MODESTINI in *Lege nona laud. ob id vero quod opus* &c. docet totius loci verborumque continuatio. Primo enim proponit in principio ſpeciem hanc, ſi quis ob honorem opus promiſerit: & ait, & ipſum & heredem in ſolidum teneri: deinde ſubiicit ſpeciem, ſi quis non ob honorem pollicitus, operi inchoato immortuus, bona non ſufficientia reliquerit. POMPONIVS autem in *L. 14.* Traiani conſtitutione commemorata, hoc exemplum illuſtrat: ſi quis, quod ob honorem quidem promiſerit opus, inchoauerit, ſed antequam abſolueret, deceſſerit, hereditasque operi perficiendo par ſit. Cum enim expreſſum non ſit, bona ſoluendae liberalitati non eſſe, vti eſt in *L. 9.* additum: non conuenit hoc putare; inprimis cum adiectum ſit: *neceſſe habet perficere id.* Hac in cauſa ait POMPONIVS, heredem extraneum neceſſe habere, aut perficere id, quod defunctus inchoaſſet: aut partem quintam hereditatis, liberos autem decimam, ciuitati concedere oportere: atque id quidem, ſi ita ciuitas mallet. Refero verba, *ſi ita mallet*, ad ciuitatem, quoniam id flagitare videtur ſententia. Nam ſi ad heredem reuocarentur, quomodo ICtus diſiuncta oratione vti potuiſſet? Quis enim heres non mallet quintam partem hereditatis ciuitati addice-

re, quam totum opus perficere, in quo plus inſumi oporteret? Sed propenſior eram in eam ſententiam, vt in *L. 14.* ita legendum putarem: *Sed ſi quis non ob honorem, opus facturum ſe in ciuitate aliqua, promiſerit,* quo magis faciliusque *L. 9.* conveniret. Sed intelligebam, quam parum illis particulae ſalutaris adiectionibus, ab Intt. doctis tribueretur.

POMPONIVS LIB. IV. AD SABINVM.

Caput ex reſcripto Diui Traiani ad Didium Secundum. Scio relegatorum bona ſuperiorum temporum auaritia fiſco vindicata. Sed aliud clementiae meae conuenit: qui inter cetera, quibus innocentiam rationum meorum temporum, hoc quoque remiſi exemplum.

L. 1. D. de interdict. & releg.

Iam ſupra, cum de edictis SCtisque ageremus, oſtendimus Traianum fiſcum coërcuiſſe, ne cum inuriis priuatorum locupletaretur; in eoque voluiſſe, vt relegatorum bona non amplius in fiſcum redigerentur. Quod quidem ſuperioribus temporibus ſaepenumero factitatum fuerat, cum nullo alio magis conſilio in innocentes poenae ſtatuerentur, quam vt auaritiae principum fiſcique inopiae ſatisfieret. Et quamquam relegatio nullam aliam vim habebat, niſi vt no-

dentes vrbe Italiaque, ſaluis patrimoniis, remouerentur, tamen iſti humani generis praedones neque relegatorum bonis pepercerant, ſed fiſco ea ſuo addixerant. Relegati enim, quia ciuitatem retinebant, bona quoque ſua conſervabant, OVID. *Triſt. V, XI, 15. 21.* & teſtamenta facere, & e teſtamentis capere poterant. PAVLL. *Rec. Sent. III, 4. 9.* vid. WESTENBERG. *ad Diu. Marc. Conſt. Diſſ. XXXV. p. 261.* Atque hoc ius reſtituit Traianus, cum de fiſco ediceret. Quare cum Didius Secundus, praeſes ſine dubio prouinciae, neſcio cuius, aliquem relegaſſet e prouincia ſua, quod ſciebat, ante Traianum relegatorum bona fiſco fuiſſe attributa, conſuluiſſe Imperatorem videtur, an eius quoque a ſe relegati bona in fiſcum redigi vellet. Vnde mihi probabilis ea exiſtit coniectura, hoc Traiano adlegatum fuiſſe in primordiis imperii, cum eam de fiſco relegatorumque bonis Legem, a Traiano latam, nondum praeſes prouinciae comperiſſet. Si enim iam id compertum habuiſſet, vix eſt, vt ad Imperatorem ea de re relaturus fuiſſe videatur. Imperator eum admonet, hoc quoque exemplum, h. e. poenam, a ſe remiſſum fuiſſe, quia clementiae ſuae non conueniret. *Inter cetera,* ait, *quibus innocentiam rationum meorum temporum, hoc quoque remiſi exemplum.* In quibus verbis, non eſt dubium, quin vocabulum deſideretur, ad quod: *quibus -- temporum* referatur Ac D. GOTHOFREDVS quidem, videri ſibi, ait, deeſſe verbum: *agnoſcis.* Mihi vero, ſi poſt tantum

tum Virum permittitur coniecturam aliquam facere, haec placebat: *quibus innocentiam rationum mearum temperaui:* h. e. quibus innocentiam fiſci mei rationumque fiſcalium moderatus ſum. Quam tamen nunc damno. Latet ſine dubio vitium in: *rationum:* ſed forte LEONINVS *Emend. VI*, 7. feliciciorem coniecturam protulit: quem librum, quamquam ab Intt. laudatum, videre & conſulere nondum contigit.

MARCIAN. LIB. XIV. INSTITVT.

Sed & ſi de re ciuitatis aliquid ſubripiat, conſtitutionibus principum diuorum Traiani & Hadriani cauetur, peculatus crimen committi: & hoc iure vtimur.

L. 4. §. 7. D. ad L. Iul. pecul.

MARCIANVS *Lib. XIV. Inſtitutionum*, e quo hoc fragmentum in Digeſta manauit, potiſſimum de criminibus publicis expoſuerat: quemadmodum poterit intelligere, qui, quae in Digeſtis eius ſuperſunt reliquiae, eas omnes conferre inter ſe voluerit, atque contendere. In eo igitur de criminibus publ. loco, cum de peculatu tractaret, iuris ſtudioſos admonere voluit, peculatum etiam committi, ſi quis de re ciuitatis aliquid ſubriperet. *Peculatus crimen* in eo cernitur, quando quis priuatus rem vel pecuniam publicam P. R. i. e. ad aerarium, & poſtea ſub

Impp. etiam ad fiſcum, ſpectantem interuertit. Nam ſi quis magiſtratus pecuniam publicam ipſi concreditam opprimit, inque vſus ſuos confert, pecunia apud eum *reſediſſe* dicitur, & Lege Iulia de *Reſiduis* tenetur. v. CIC. *Verr. I, 4. L. 2. L. 4. §. 3. 4. D. ad L. Iul. pecul.* Igitur cum peculatus crimen in *re vel pecunia publ. P. R.* committeretur: neceſſe erat, vt, quoniam municipia ac ciuitates priuatorum loco haberentur, in pecunia eorum id locum non haberet. Nam CAIVS *Lib. III. ad Edictum prouinciale* in *L. 16. D. de V. S. Publica*, (*) inquit, *adpellatio in compluribus cauſis ad populum Rom. reſpicit. ciuitates enim priuatorum loco habentur.* Et VLPIANVS *L. X. ad Edictum*, ſcribit: Bona ciuitatis, abuſiue *publica* dicta, & ſola ea publica eſſe, quae populi Rom. ſint in *L. 15. D. eod.* de quibus Legg. v. GOEDDEVS in *Comment. in tit. D. de V. S. ad h. L.* Quid igitur eſt? Cum malum facinus eſſet, ciuitatibus ſua intercipi: neque fieri deberet, vt quis iniuſte ablatis locupletior exiſteret: actio furti in reum propoſita erat, qua ciuitates ſuum perſequi poſſent. Iam quoniam hac ratione municipiorum ciuitatiumque bonis non ſatis proſpectum videbatur, cum furti nomine tantum ciuilis eſſet repetitio: Imperatori Traiano, quem, ſupra vidimus, impenſe ciuitatium ac municipiorum commodis fauiſſe, placuit, reſcripto

(*) Forte legendum eſt: *publici: publicum* enim κατ' ἐξοχὴν dicitur id, quod populo Rom redit ex vectigalibus omnibus. v. BVRMANN. *de Vectig. P. R. c. XII.*

ſcripto conſtituere, vt Lex Iulia de peculatu, eiusque animaduerſio, etiam aduerſus eos prorogaretur, qui quid, e re ciuitatis alicuius, ſubripuiſſent. Lege autem Iulia de peculatu, cautum fuiſſe, probabile eſt, vt peculatori aqua & igni interdiceretur. Hanc enim poenam liberae reip. temporibus & admodum adcommodatam fuiſſe, & perquam vſitatam, conſtat. In eius autem locum ſucceſſit ſub Impp. deportatio *L. 3. D. ad L. Iul. perculat.* Interdum tamen honeſtiores, in crimine peculatus, quadrupli tantum poena adfecti ſunt. v. SCHVLTING. in *Iurisprud. Anteiuſtin. p. 524.* Itaque cum Lex Iulia peculatum ſub Impp. deportatione vindicauerit; peculatum autem benigna interpretatione etiam in re ciuitatis ſubripienda Traianus committi conſtituerit: eadem etiam tenebuntur poena, qui ciuitatium bona contrectarunt. Quod, cum etiam poſtea Hadrianus reſcripto iuſſiſſet, ac ſubinde deinde & Impp. reſcriptis, & reſponſis ICtorum, & rebus iudicatis obſeruatum fuiſſet: certi atque manifeſti iuris ratione conualuit. Quare MARCIANVS ait: *atque eo iure vtimur.*

MARCIAN. LIB. VIII. INSTITVTION.

Sed et ſi ſine vlla praeceptione rogatus fuerit hereditatem reſtituere, plerumque quarta donata eſt a principibus, & ita D. Traianus &, Hadrianus, & Antoninus reſcripſerunt.

L. 30. §. 5. D. ad SC. Trebell.

Praeceptio eſt legatum vni ex heredibus prae aliis relictum, vt id praecipuum habeat, quod iudicio familiae herciſcundae peti poterat. PAVLL. *Rec. Sent. III, 6. 1.* Quo ſi quis, rogatus hereditatem reſtituere, teſtamenti tabulis honoratus eſſet: eum ſine detractione Quartae Falcidiae reddere hereditatem fideicommiſſario oportebat. *L. 30. laud.* §. 4. *ad SC. Trebell.* Quo pertinet exemplum ap. PLIN. *ep. X, 79.* Iam ſi cuius fidei commiſſa eſſet hereditas, ſine legato praeceptionis, tota alteri reſtituenda, an quarta e SCto Pegaſiano locum haberet, quaerebatur. Et refert MARCIANVS *quartam plerumque ab Impp. Traiano, Hadriano, Antoninoque* remiſſam eſſe, ne detrahi poſſet. Id enim docet totus Marciani contextus, & verbum: *donata eſt.* *Donare* enim eam vim habere, docet I. F. GRONOV. ad *Senec. Controu. XXVI. p. m. 455.* Et quamquam SCto Pegaſiano eam ob cauſam, ne fideicommiſſa deſtituerentur, cautum erat, vt quarta deduci poſſet: plerumque tamen illi dicti Impp. id remiſerunt fideicommiſſis, quae ſine praeceptione reſtituere rogati erant heredes: propterea, quod voluntas teſtatoris videbatur haec fuiſſe, vt fideicommiſſarius totam hereditatem integram illibatamque conſequeretur. Poſſet quidem etiam MARCIANI locus ita capi, quaſi quartam plerumque deducere permiſiſſent illi Impp. cum, Impp. non ſolum de iure controuerſo, verum etiam de certo atque indubitato reſcripſiſſe, doceat Cel. SCHVLTING.

TING. *Diſſ. pro Reſcr. Impp. §. 5.* Verumtamen in eo orationis nexus deſideratur. Atque iſtam meam ſuperiorem interpretationem etiam placere intelligo CVIACIO *Expoſit. Nouell. Iuſt.* ad *Nou. I. p. m. II.*

CALLISTRATVS LIB. VI. COGNITIONVM.

R*eceptores abigeorum, qua poena plecti debeant, epiſtola Diui Traiani ita cauetur, vt extra terram Italiam decem annis relegarentur.*

L. vlt. §. 3. D. de abig.

Abigei, ſiue, *abactores, ſunt, qui vnum equum, duas equas, totidemque boues, vel capras decem, aut porcos quinque abegerint.* PAVLL. *Rec. Sent. V, 18. 1.* atque inprimis eo numero habentur, ſi pecora iſta a grege vel armentis ſubtrahant & quodammodo depraedentur, & abigendi ſtudium quaſi artem exerceant. *L. 1. de D. abig.* Itaque, qui neque ſtudio neque iſta copia pecus vel armentum ſubduxerit, non abigeus, ſed fur eſt: *L. 1. laud. D. de abig.* atque adeo *poena furti pro qualitate eius, aut in duplum, aut in triplum conuenitur;* aut ſi ſeruus ſit, *fuſtibus caeſus in opus publicum vnius anni datur, aut ſub poena vinculorum domino reſtituitur.* PAVLL. *Rec. Sent. l. c.* At abigei extra ordinem accuſantur, & quidem, quoniam criminis loco abigeatus cenſetur, cum inſcriptione in crimen *L. 1. C. de abig.* v. CVIAC. *Obſ. I, 20.* Diuer-

ſis autem poenis coërcentur, pro atrocitate criminis & conditione reorum, vt *atroces ad gladium plerumque vel in metallum, nonnunquam autem in opus publicum dentur:* PAVLL. *Rec. Sent. l. c.* §. 2. qui cum gladio abigant, beſtiis obiiciantur, honeſtiores autem relegentur, aut ordine moueantur *L.* 1. §. 3. *D. h. t.* Iam cum abigei tam ſcelerate faciant, tamque ſeueris poenis adficiantur: non minus ii quoque puniendi ſunt, qui abigeos recipiunt, iisque perfugium, locumque criminis occultandi praebent. Itaque D. Traianus *epiſtola*, h. e. reſcripto, praecepit, *vt extra terram Italiam decem annis relegarentur. Terra Italia* poſitum, pro terra Italiae, per adpoſitionem: cuius exempla frequentiſſima occurrunt. v. c. apud CIC. quod multis in locis memoratur: illud ENNII: *horribili tremit Africa terra tumultu.* *Relegatio* quibus in rebus a deportatione exilioue differat, docent *Intt.* ad *Cai.* in SCHVLTING. *Iuriſpr. Anteiuſt. p.* 47. Cautum autem a Traiano, vt extra terram Italiam relegarentur, videtur fuiſſe propterea, quod etiam prouinciarum rectores interdicere Italia poterant *L.* 7. §. 11. *D. de interdict. & releg.* & relegati a prouincia, & vrbe & Italia arcebantur; laud. *L.* 7. §. 15. *L. vlt. D. eod. L.* 8. §. 3. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* Cuius quidem rei auctorem fuiſſe Claudium, qui conſtituerit, vt, quibus prouincia a magiſtratibus interdictum eſſet, iidem & Italia & Vrbe ſubmouerentur, refert SVETON. *ei. vit. c.* 23.

CAL-

CALLISTRATVS LIB. IV. COGNITION.

Domini nauium non videntur habere inter priuilegia, vt a tutelis vacent; idque D. Traianus reſcripſit.

L. 17. §. 6. D. de excuſ.

Hoc fragmentum CALLISTRATI e *Cognitionum libris* eſt: *Cognitionum* autem libri ſunt ii, in quibus explicantur ea, de quibus magiſtratus Romae, aut in prouinciis, extra ordinem cognoſcit: quo etiam pertinet excuſatio tutelae: de qua toto iſto fragmento ICtus tractat, vt, quibus tutelae vacatio conceſſa ſit, doceat. Inter eos autem, quibus immunitas tutelae tributa, non ſunt domini nauium e Reſcripto Traiani. *Domini nauium* ſunt, qui *naticularii* alioqui dicuntur, qui frumentum ex prouinciis vectigalibus Romam aduehunt nauibus, ſiue ſint ipſi domini, ſiue tantum exercitores nauium. Qui, quoniam inſignem reip. partem ſuſtinebant, frumenti annonaeque adfluentiam, qua otium & quies Romanae Vrbis atque adeo ſecuritas Impp. continebatur, ad eorum curam induſtriamque inflammandam, multa priuilegia, multas immunitates, Impp. indulgentia, conſecuti ſunt. Coeperunt illi quidem deinde etiam aliis neceſſitatibus publ. inſeruire, veluti lignis ad vrbanas aliasque publicas conuectandis vtilitates; annonae ad exercitus deportandae; armis, vel ad militum, vel ad ipſius principis vſus, transvehendis. v. WE-

STENBERG. *ad Diui Marci Conſtit. Diſſ. XXIV. p. 249. ſqq.* Sed omnis tamen origo, & cauſa inſignium illorum commodorum, quae ipſis fuere attributa, repetenda eſt inde, quod annonam Vrbis ac frumenti copiam adiuuabant. Nam Claudius Imp. qui primus eorum commodorum auctor extitit, arctiore annona propter adſiduas ſterilitates, cum nihil non excogitaret, ad inuehendos etiam in tempore hiberno commeatus: *naues mercaturae cauſa fabricantibus magna commoda conſtituit, pro conditione cuiusque: ciui vacationem Legis Papiae Poppaeae; Latino ius Quiritium; feminis ius quatuor liberorum:* SVETON. *Claud. c. 18.* qui adiicit, ea ſuo tempore, i. e. Traiani aetate, ſeruari. Ex eodem edicto Claudii, Latinum ciuitatem accipere, ſi, non minore, quam decem millium modiorum naue fabricata, Romam frumentum ſex annis adportasſet, auctor eſt VLPIAN. *fragm. III, 12.* Neque improbabile eſt, inde quoque profectum eſſe, quod eſt in *L. 3. D. de iur. immun.* v. PETR. FABER *Semeſtr. I, 25. p. 144.* Multa deinde alia iisdem etiam commoda & proemia conceſſa ſunt; *L. 16. C. Th. de nauicul.* atque inter ea dignitas equeſtris, immunitas a muneribus publ. ſiue perſonalibus, ſiue realibus, ſiue patrimonialibus *L. 5. §. 3. L. 8. L. 17. C. Th. de nauic.* In quo tamen excipitur hoc, ne nauem habeant minorem quinquaginta M. modiorum, aut plures, ſingulas tamen non minores X. mill. modiorum. De priuilegiis nauiculariorum comparandus eſt I. CVIAC. *Comm. ad Cod. XI. p. m. 261.* GOTHOFRED. ad

VLPI-

VLPIAN. *III, 6.* Iam cum tot ac tantas immunitates ac vacationes a publicis muneribus habuerint domini nauium, a tutela etiam immunes eſſe debere videbantur nonnullis. Qua propter, cum, in cauſis priuilegiorum dubiis, ipſius principis ſit exiſtimatio, quem modum ſui beneficii eſſe velit *L. 3. D. de conſt. princ.* conſultus eſt Imperator Traianus: Qui reſcripſit, eos non videri habere inter priuilegia, vt a tutelis vacarent. Quod enim haec iis immunitas nominatim conceſſa non eſſet, ea vti eos non exiſtimabat oportere: propterea, quod priuilegia Legibus ac iuri communi derogant, adeoque anguſtiori interpretationi ſubiecta ſunt *arg. L. 14. D. de legibus. L. 13. D. de mun. & honor. L. 1, §. 1. 2. de iur. immun.* V. SCHVLTING. *Enarrat. P. 1. Dig. p. 68.*

MODESTINVS LIB. XII. PANDECT.

Sed D. Traianus inter mouentia fructus quoque haberi reſcripſit.

L. 5. §. 2. D. de requir. vel abſ. damn.

Cum MODESTINVS toto *libro XII. Pandectarum*, vti comparatis eius fragmentis cernitur, de criminibus egerit: hoc loco, quaeſtionem tractauit, de iis, qui criminis accuſati alicuius, adnotati requirendi, in fuga erant. Horum bona intra annum adnotationis, e mandatis principum, obſignari, dicit, vt, ſi rediiſſent, innocentiamque ſuam probaſſent, res ſuas haberent integras; ſin minus

minus rediiſſent, neque ſe purgaſſent, poſt annum bona in fiſcum redigi: intra annum autem medio tempore mouentia venire oportere, & in depoſito haberi. Iam cum dubitatio eſſet, quid de fructibus fieret: hos quoque e reſcripto Traiani inter mouentia haberi, atque adeo venire oportere oſtendit.

DE STATV IVRIS CIVILIS AC IVRISPRVDENTIAE SVB TRAIANO.

Cum Leges, SCta, Edicta Reſcripta, Decretaque Traiani a nobis explicata ſint, vnum videtur adhuc ſupereſſe, vt, quae Iurisprudentiae ac totius Iuris Ciuilis facies fuerit, qui ſtatus, paucis commemoretur. In vniuerſum autem, cum de ſingulis partibus, inopia ſcriptorum, dici non poſſit, hoc tenendum eſt, Imperatorem Traianum, animi ciuilitate ductum, cum ad aequabilitatem aliquam remp. deduxiſſet, effeciſſe, vt Ius Ciuile & Leges fere eadem ratione, atque olim, libera rep. vel certe Auguſti aetate, libertatis adhuc multa veſtigia retinente, tenerentur. Leges ſeuere, ſed ciuiliter tamen, exercebantur, neque vmquam aequitas a Iuris Ciuilis ratione ſeiuncta cernebatur. *Lex Iulia repetundarum* diligenter cuſtodita. PLIN. *ep. IV, 9. 16. Lex ambitus* denuo ſancita, & in Senatus comitia introducta. PLIN. *ep. VI, 5. de adulteriis Lex Iulia* in cognitione Principis ipſius obſeruata. ID. *ep. VI, 31. Legis Cinciae* caput alterum *de donationibus* vſu retentum

tum. PLIN. *ep. X, 3. Lex tabellaria* Senatui iniuncta *ep. III, 20.* Atque haec quidem in iis cauſis ratio fuit, quae veteres Leges, hoc rerum ſtatu, paterentur. In iis autem quae, mutatis temporibus, nouam quandam ſanctionem conſtitutionemque deſiderarent, Imperator, cum ſuam, tum Senatus auctoritatem, interpoſuit: in quibus non minus liberae reip. quandam quaſi imaginem expreſſit, de quibus quidem hoc Commentario iam ſupra tractatum ſatis eſſe, arbitror. Senatui enim cenſendi decernendique arbitrium ac libertatem reſtituit. PLIN. *ep. VIII. 14.* Magiſtratibus autem Imperator reliquit poteſtatem eam, quae ipſis erat, cum crearentur, demandata: neque facile, quemadmodum ſuperiores fecerant principes, res atque cauſas ad ſuam cognitionem rapiebat. Itaque cum de crimine adulterii a centurione commiſſi, cognouiſſer, decreuiſſetque, & nomen centurionis, et commemorationem diſciplinae militaris ſententiae adiecit, ne omnes eiusmodi cauſas ad ſe reuocare videretur. PLIN. *ep. VI, 31.* In magiſtratuum numero, atque munere nihil innouauit. Iudicia quoque ſub eo ad ſimilitudinem veteris libertatis exercita videntur fuiſſe, reiectioque iudicum locum, ſiue adhuc habuiſſe, ſiue certe recepiſſe. Patet id exemplo iudicii ac tribunalis fiſcalis, de quo ſupra. Hac aequabilitate, & ciuilitate cum eſſet Imperator, cum Ius Ciuile, ac Leges in rigida ſeueraque obſeruatione verſarentur, ardentius inflammati ſtudio ſunt homines, vt ad Iurisprudentiam conſequendam eniterentur:

tur: cum intelligerent inprimis, non iam amplius fore, vt diſcerent, quod in vſu non eſſent habituri: quod ſuperiorum temporum ſeruitus effecerat. Ita enim PLINIVS *ep. VIII, 14.* elegantiſſime, ait: *Priorum temporum ſeruitus, vt aliarum optimarum artium, ſic etiam iuris Senatorii, obliuionem quandam & ignorationem induxit. Quotus enim quiſque tam patiens, vt velit diſcere, quod in vſu non ſit habiturus? Adde, quod difficile eſt, tenere, quae acceperis, niſi exerceas. Itaque reducta libertas rudes nos & imperitos deprehendit, cuius dulcedine accenſi, cogimur quaedam facere ante, quam noſſe.* Quod, quamquam de Iuris Senatorii ſcientia prodit Plinius, tamen facile, etiam in Iuris Ciuilis prudentiam conuenire, intelligitur. Etenim cum Iurisconſulti a prima pueritia Leges ac iura didiciſſent, in quibus antiquam iſtam libertatem expreſſam cognouiſſent: libertatis quoque & aequabilitatis amorem induebant. Sed periculoſum erat reſpondere de Iure aliter, atque principibus conueniſſet, atque expediiſſet. Deinde cum Leges crudelitate & cupiditatibus tyrannorum euerſae iacerent, & voluntates improbiſſimorum hominum iuris neceſſitatem induiſſent: ſcientia Iuris ac Legum Ciuilium auctoritatem vimque non obtinebat ſuam. Sed renaſci quaſi, & iterum vitam & ſanguinem accipere, videbatur Iurisprudentia Rom. reducta a Traiano libertate: quae mihi quoque eandem omnibus ſtudiorum ac ſcientiae fiducia ſubnixis poteſtatem attuliſſe videtur de iure reſpondendi; vt a prin-

cipe

cipe peti amplius iſta facultas, impetrarique non deberet. Nam *Optimus Princeps, Hadrianus, cum ab eo viri Praetorii peterent, vt ſibi liceret reſpondere, reſcripſit iis: hoc non peti, ſed praeſtari ſolere, & ideo, ſi quis fiduciam ſui haberet, delectari ſe, populo ad reſpondendum ſe praepararet*, inquit in *L. 2. §. vlt. D. de O. I.* POMPONIVS. Qui, quod refert, Hadrianum dixiſſe, aut reſcripſiſſe, de iure reſpondendi facultatem *peti non ſolere* indicat, iam ante Hadrianum, adeoque Traiani imperio, promiſcue omnibus iterum, vti ſub libera rep. reſpondere licuiſſe, & Auguſti Tiberiique inſtitutum, tum temporis exrogatum iacuiſſe, quo nemini, niſi cui conceſſa fuiſſet ea poteſtas, reſpondere de iure licebat. Atque haec quoque libertas, omnibus permiſſa, non potuit, ſtudium Iuris Ciuilis non accendere: cum ea re quisque ſpem oſtenſam videret, poſſe ſe Iuris ſcientia ad gloriam laudemque & auctoritatem adſpirare. Itaque etiam Traiani imperium, vti reliquarum artium, ita & Iuris ſcientiae laude celeberrimorum Virorum prouentum uberrimum tulit, de quibus ii expoſuere, qui Vitas ICtorum enarrarunt. Quorum quidem ſtudiorum curſum & incitauit, & adiuuit Bibliotheca, a Traiano inſtituta atque collecta, Legum, SCtorum, Edictorumque & aliorum Iuris monumentorum ſupellectile refertisſima: qua ſe vſum teſtatur GELLIVS *N. A. XI, 17.* Poſita erat in templo Traiani, & a nomine Traiani *Vlpia* dicebatur. Meminit VOPISCVS *vit. Aurelian. c. 8. vit. Tac. c. 8.*

Hanc

Hanc autem *Athenaica* adpellatam fuiſſe putat ALMAS., e lectione Cod. Palatini, in TREBELL. POL. *XXX. tyrann. c. 10. Script. Hiſt. Aug. p. 214. T. II. ed. Hack.* Sed in vulgatis libris tamen eſt: *archiuis*. Atque ſic quidem putamus, ſpeciem aliquam Iuris Ciuilis ac Iurisprudentiae ſub Traiano effictam eſſe: quae ſi cui admodum leuis atque exigua videbitur, rogamus petimusque, vt, quemadmodum in ceteris a nobis diſputatis, ſic & in hoc capite, quod deſiderari poſſit, id obſcuritati iſtius temporis, & imbecillitati humanae condonare velit.

INDEX IN COMMENTARIVM DE LEGIBVS TRAIANI.

A.

Abigeatus. pag. 215
Abolitio criminis. 130
Abſentes damnari in criminibus non poſſunt. 178
Accuſatorum proemia libera rep. 77
Acta publica V. R. 95
Aerarium. de eo Lex Traiani. 31
Aerarii praefectura. 55
Aerarii vocabulum a Triboniano loco motum. 47. 67
Afranius Dexter quando Coſ. fuerit 123
Alimenta puerorum ingenuorum. 20
Apronianus. 146
Ariſto ICtus. 168
Arrianus Seuerus. 60. not.
Auſonius vindicatus. 17

B.

Beneficium Traiani, eorum qui ſe deferunt. 41
Beneficia edictis ab Impp. conceſſa. 41
Brummerus refutatus. 90. 94
Bynkershoekius refutatus. 205. 207

C.

Catilius Seuerus. 193
Cicero defenſus. 90
Ciuitatibus teſtamento relinqui licere quando coeperit. 183
Cognitionis de militibus forma propria. 196
Conſtitutio. 202
Conſules ſuffecti SCtis nomina faciunt. 100
Cuiacius refutatus. 65
Curſus publ. 22
Cuſtodiarum cognitio feriatis diebus cur habita. 165

D.

Decretorum Impp. vis. 170
Deferre ſe quis poſſit. 45
Delatorum proemia. 43. 79
– – improbitas. 80
– – poenae. 82
Delectus a Traiano habitus. 197
Delectum ſubterfugientium poena. 196
Dies vtiles, continui. 133
Donare remittere. 214

E.

Edicta Traiani: de delatoribus. 77
– – de coloniis ex Italia non deducendis. 163
– – de his qui ſe deferunt. 42
– – de libertis inuito patrono ciuitatem adeptis. 69
– – ne liberti aut ſerui patronos dominosque accuſarent. 73
– – de ſtateris adulterinis. 9
– – de teſtamentis. 38
– – vt candidati praedia emerent. 5
Edictis confirmantur SCta 42
Emancipare filium coactus pater perdit ius patronatus. 169
Emancipatio neceſſaria. 170

F.

Feriae, quae? et quibus de rebus cognoſci iis poſſit. 175
Fideicommiſſa tacita. 45
– – palam relicta, quae caduca? 53
Fideicommiſſaria libertas. 102
Fiſcus: de eo lex Traiani. 32. 209
Fiſcalis Praetor. 33
Fiſcale iudicium a Traiano conſtitutum. 35
Fronto, Iulius 176

G.

Gallita. 127. not.
Graecorum Iuris Intt. fides et auctoritas 117

H.

Heineccius reprehenſus 51. 100. 221. 153. 157
Heres et Legatarios complectitur. 112
Heres ſemel factus I. C. ſemper manet. 150
Heurematicum Traiani de interrogandis reis. 187
Honor pro hereditate aut legato. 91

I.

Imperatorum Conſulatus primus. 35
Inducere iudicium. 163
Interrogatio reorum quomodo facienda. 187
Iudicium fiſcale. 33
Iudicum reiectio electioque. 34
Iulius Rufus. 63
Iurisprudentiae facies ſub Traiano. 220
Iuſta aetas pupillari oppoſita. 45

L.

Latitare. 105
Leges quando in praeteritum valeant. 56
Leges Tabellariae. 7
Lex Cincia. 189
– Cornelia de falſis. 11
– Papia Poppaea: ei caput ab Heineccio falſo inſertum. 51
– Remmia vtrum a Traiano

iano et Conſtantino M. ſublata. 85. 86
Lex Voconia. 49
– Veſtibulici explicata. 153
– Traiani numaria. 135
– – Maieſtatis. 27
– – de fiſco. 32
Libertas fideicommiſſa eluditur. 103
Liberti fideicommiſſarii. 102
– inuito patrono ciuitatem impetrare non poſſunt. 69
– Iuniani. 70
– Orcini. 109

M.

Maieſtatis crimina. 27
Mandata Impp. 191
Maſſonus refutatur. 174. not.
Merillius refutatur. 117. 122
Minicius Natalis ICtus. 173
Modeſtinus ICtus: eius lib. XII. Pand. 219

N.

Nauiculariorum priuilegia. 217
Neratius Priſcus ICtus. 168
Noordkerkius notatus. 155

O.

Orcini liberti. 109

P.

Pandectarum Codex Florentinus. 119
Papinianus: de eius lib. XI. Quaeſtion. 165
Paulli lib. ſing. de SCtis. 148
– – lib. XXXVIII. ad Edictum. 199
Peculatus quid? 211. in re ciuitatis committitur. 212
Pietas pro patria poteſtate. 169
Pollicitatio. 204
Pomponius vindicatus. 33
Populus pro aerario. 54
Praeceptio. 139
Praeiudicium. 161
– – cognitioni de teſtamento fieri nequit. 162
Praeuaricatio: eius poena. 131

Q.

Quaeſtio de quibus et in quos habeatur. 182
Quaeſtionum libri. 165
Quarta delatorum. 78
Quarta a fiduciario ſaepe deduci vetita. 214

R.

Remiſſio reſiduorum. 19
Relegatorum bona in fiſcum redigi vetat Traianus. 209
Reſcripta Impp. an ius vniuerſale faciant. 65. 186

S.

Schwarzius refutatus. 33
Senatus Ctum de ambitu. 1

Senatus Ctum ad Legem Cinciam. 89
– – Apronianum. 137
– – Articuleianum. 99
– – Daſumianum. 111
– – de libertis quaeſtioni ſubiiciendis. 123
– – Plancianum. 50. 64
– – Rubrianum explicatum. 99
– – eius differentia a Daſumiano. 116
– – de tergiuerſationibus. 126
– – Turpillianum. 128.
eius poena. 131
– – de actione ſubſidiaria adu. magiſtratus. 158
– – ne actioni de teſtamento praeiudicium fiat. 160
Senatus conſulta Edictis. Impp. confirmantur. 42
150
Solum pro Italico ſolo.
Spanhemius Ez. refutatus. 142
Subſcriptionis in crimen origo. 88
Suffragium. 97

T.

Talionis poena a Traiano in delatores ſtatuta. 87
Tergiuerſator: eius poena. 130. 131
Teſtamentarium Traiani edictum. 38
Teſtamentorum pericula ſub Impp. 38
Teſtamentum ingratum 39
Teſtamentum olim ab heredis inſtitutione incipiendum. 188
Teſtamentum militare olim non reſtrictum. 192
Traianus beneficia confirmat. 16
– – delectum habet. 197
Tutor: bona fide geſta ab eo rata habentur. 199

V.

Vectius Libicus. 154
Viceſima hereditatium. 22
– – de ea lex Traiani. 25
Vlpiani pueri. 21
Vlpianus ICtus: de eius lib. VII. de officio ProCoſ. 171
– – eius libri ad Sabinum. 188

Errata et addenda

Neſcio quomodo p. 1. l. 5. annus imperii Traiani I. pro II. et p. 15. lin. 6. pro anno III. irrepſerit II. p. 4. l. 18. pro: Vatinii leg. Iulii Baſſi. p. 33 l. 18. loco: *Praeter.* leg. Praetor. p. 47. l. 6. pro: ararium leg. aerarium. p. 73. l. 17. pro: qui leg. quae. p. 78. l. 7. pro: ſexcentes leg. ſexcentos. p. 100. l. 1. ad verba: *Ita enim:* adde: *in L. 26. §. 6. D. de fideicomm libert.* p. 124. l. 6. a Senatum leg: a Senatu p. 152. l. 12. pro: hominem leg: hominum.

005673189